
Ordini Reg[illegible]

particolar





10
7-d
15

6
28 D
41

FRANCHINI
DE
ANTIQVIORITATE FRANCISCANA

Opusculum Secundum.



DE ANTIQVIORITATE FRANCISCANA

CONVENTVALIBVS ADIVDICATA,


APOLOGEMA,

FR. IOANNIS FRANCHINI A MVTINA
Procuratoris Generalis Ordinis

Dicatum Reuerendissimo P. Magistro

IOSEPH AMATI
DE MASSAPHRA

Art. & S. Theol. Doct. ac totius Seraphici Ordinis
Minorum Conuentualium Ministro post
S. Patriarcham Franciscum Generali
septuagesimoquarto.



Opusculum Secundum.





RONCILIONE,

Ex Typographia Iacobi Menichelli. M DC LXXXII.

SVPERIORVM PERMISSV.



REVERENDISSIME PATER.



ON mittuntur, ſed veniunt ſuaptè ad Paternitatem Veſtram Reuerendiſſimam diſſertatiunculæ Apologematis pro noſtra Religione. Subſidiariæ Religionis illi merent, cuius eſt Religio. Patrem Patrono commiſcent: Veniant, vel ducantur, aut trahantur, ſpontè, amore, vel debito, cum tibi ſubeſſe norint quicquid hanc ſpectat ad Religionem, ſeſe iure ſubijciunt, & amorem amore penſantes, non habent cui melius ſe deuoueant, Authoris debitum conteſtaturæ, ni ſoluturæ. Quæ Religionis decus concernere poſſint, nulli ſe prudentius ſiſtunt, quam ei, ſub quo fœlicius continuantur antiqua Religionis ornamenta;



Nullus è noſtri æui Generalibus ſexennalem ſuam retulit præfecturam tot fulgentem ſplendoribus, ijſque apprimè illuſtribus. Reſplenduit etenim te gubernante Seraphica Religio, adueniente purpura Eminentiſſimi Brancati de Lauræa, quo totus Ordo condecoratus, eſt profuſus in debita, laudes, &c. obſequia Sanctiſſimi verè Regnantis, cum Regnantum opus ornare virtutem, ſummum noſtri cœtus Sapientem ſupremo Purpuratorum Senatui adſcripſit, tot plaudentibus, quot viri laboribus præmium expectantibus, totius Vrbis vocibus prodidere lætitiam. Neque minori gloriæ tui Præſulatus, & ipſa Hernica ſaxa prolificarunt ſanctitate fœcundata, Anagniæ à viuis decedente Patre Ludouico Gulinetto Leodienſi quidem ortu, licèt quadragenario incolatu vix non Italo, qui obijt die 2. Septembris 1681. cum tanta ſanctitatis opinione apud homines, vt populorum ex Latio concurrentium multitudini fuerit opus armatos publica auctoritate opponere in Cadaueris aſſiſtentiam, & Eccleſiæ à tumultu ſecuritatem, ob laudatiſſimam viri ſanctimoniam iam ab humilitate, innocentia, ſimplicitate, oratione,

abſtinentia, maceratione, ſignis, æſtaſi, ſpiritu prophetiæ innoteſcentem ex diuturno Anagniæ domicilio. Quibus ſi adderem cæteros doctrina, moribuſve præſtantes, quos promouiſti; conſtantiam, qua pro iuſtitia imperterritè ſtetiſti; maturitatem, qua agibilibus præfuiſti; charitatem, qua verè Pater omnes complexus es; manſuetudinem, qua cunctos deuinxiſti, vnde alto conticinio, difficultatibus vndequaque conſopitis à moderamine placidiſſimo, charitatis dulcore lactata Religio, adoleuit quieti, & pacem, quam à gentilitia tua Columba fuerat auſpicata ſibi fœlicem gratulata eſt ab euentu, pacificum Salomonem, vel tranquillum Auguſti Imperium eſt nacta quieti. Ijs verò adeò glorioſum claudis ſexennium, vt neque rectitudo in hoc ſcirpo nodum, nec integritas hac næuum in gena, vel ipſi aut malitiæ, aut oculatiſſimæ inuidiæ quid carpendum obiecerit, & nos, qui cum Trogloditis Soli orienti non maledicimus, occidenti benedicamus. Summum igitur noſtri ornamentum per ea, quæ publici ſunt decoris, & ego, qui præ cæteris teneor, vrgeorque immani debitorum mole, quibus deuin-

cior, ipſa nunc in publicas tabulas refero, vt qui nihil boni ſim, niſi quod tuus ſim, publicatis hiſce bonis, quibus vnicè fruor, nihil niſi tuum fuiſſe, nihil niſi tibi voluiſſe cognoſcar, eo ſolo nihilo gloriabundus, à quo per te erutus collœter; tuque benigno ſuſcipiens vultu, non quantum, ſed à quo, vel quo corde detur inſpiciens munuſculum, tuo digneris obtutu, mihique paternam impartiaris benedictionem. Romæ ad Sancti Saluatoris in Vnda ad Pontem Sixtum die 20. Decembris 1682.

Paternitatis Veſtræ Reuerendiſſimæ

Humill. Seruus, obedientiſs. Filius

Fr. Ioannes Franchinus à Mutina
Proc. Ord. Min. Conuent.

AMICE



AMICE LECTOR,

DIstrahor, non distineor. Promissa, quę non impleo, renouo: imò datæ fidei memor, virorum, qui è Seraphica Conuentualium Religione claruerunt, vitæ sanctitate, colligo monumenta. Narrationibus aliquibus vitarum iam concinnatis effigies prę figendas Iconographus incisit, reddiditque, & cæteris adlaborat. Cunctari fuit opus; sed promissum remorari, non est remordere promissum. Præualet iuramentum promissis; quique ex officio iuratam locaui operam toti Religioni, omnibusque Religiosis, non potui non dare calamum Isferniensibus. Obest etiam, qui annis recenter actis, influxus, seniores sustulit, quorum ductu indiguissem. Quod tamen valeam non detrecto. Nostri æui sanctitatem inuestigo à prædefunctis. Antecedentes annum 1586. habes à nostro Rodulphio Tausinianensi, à me cæteros expecta. Iam ad triginta innotuere. De vita, virtutibus, & miraculis ali-

b

quorum confectos processus vel habui, vel habebo. Franciscanarum licèt senior, non sterilescit Religio Conuentualium, quæ semper Anna nunquam non enititur Prophetas, & grandæua Elisabeth in senio concipit. Nunquam Lacæna viros non peperit: Sanctorum mater, & filia, sanctitatem traducit in sanctitatem. Tu quoque iuues igitur. Si quos noueris sanctæ vitæ Conuentuales, quæso moneas, ne alicui iniurius videar prætereundo. Sic vbi deliuescere processus, monumenta, vestigia tu scias, erue, quære, mitte. Non cecinerim surdis. De Opusculo præsenti non habeo quid præloquar. Qui pauca scribit, pauca præfatur. Se ipsum loquitur libellus initialibus paginis. Hoc tamen scias: me non astitisse cussioni: Bonus tamen suffectus assistebat amicus: At ipsi luctandum cum liuuris, obelis, asteriscis. Agendorum curis implicitus scripsi, quod scripsi; nec otiosus scripsissem melius, qui bene scribere nondum didici. Me Romæ existente imprimebatur alibi; Si quæ igitur mendæ ab interpunctione, ab ortographicis, alijsve, compatere. Humano Lectori nihil mendosum, beneuolo nihil erratum.

EGo infrascriptus secundum Opusculum Adm. R.P.Mag. Ioannis Franchini de Mutina nostri Ordinis Procurat. Generalis, cuius titulus est: *De Antiquioritate Franciscana Conuentualibus adiudicata, Apologema*; iussu Reuerendiss. Patris Ministri Generalis, diligenter, & accuratè perlegi, in quo cum nihil contra fidem, nec contra bonos mores agnouerim, ipsum censeo publici iuris fieri posse per Typographos. Dat. Romæ 3. nonas Dec. 1682.

Fr. Bonifacius Augustini de Monte Vlmi Examin. Episcop. ac Collegij D. Bonauenturæ de Vrbe Regens, & Rect.

FR. IOSEPH AMATVS A MASSAPHRA
Art. & S. Theol. Mag. & Ord. Min. Conuent. Min Gen.

SEcundum Opusculum P.Mag. Ioannis Franchini de Mutina nostri Ordinis Procuratoris Generalis, inscriptum: *De Antiquioritate Franciscana, Conuentualibus adiudicata*, à duobus nostri Ordinis Theologis, quibus id commisimus, reuisum, nullaq; dignum animaduersione repertum, concedimus posse typis dari, quantum in nobis est, & si ita placuerit ijs, ad quos spectat. In quorum fidem &c. Dat. Romæ apud SS. Apostolos idibus Dec. 1682.

Fr. Ioseph Amato de Massaphra Min. Gen.

Fr. Berardus Berardi Secret. Ord. & Assistens.

b ij

Illustriss. & Reuerendiss. Domine.

OPusculum de antiquioritate Franciscana à Fr. Ioanne Franchino de Mutina Procuratore Ordinis Minorum Conuentualium Romæ commorante, compositum, supplex ipse Author precatur, posse typis dare alibi quam Romæ, extra Vrbem scilicet imprimendo cum dispensatione, & facultate quã consequatur &c.

Essendo stato riueduto, & approuato in Roma, si potrà concedere, se così stimerà bene il P. Reuerendiss. Maestro del S. Palazzo Apostol.

I. de Angelis Archiep. Vrb. Vicesger.

Imprimatur,

Fr. Ioseph Clarionus Ord. Prædicat. Reuerend. P. Magistri Sacri Apostolici Palatij Socius.

Imprimatur, si videbitur,

Pro Illustriss. & Reuerendiss. D. Stephano Ricciardo Epis. Sutrino, & Nepesino, Dominicus Perleonus Canonicus, & Vicarius Foraneus.

Imprimatur Roncilioni,

Fr. Bartholomeus Antonellus Mag. Ord. Carm. & Reuerendiss. P. Magistri S. Apostol. Palatij Vicarius.



INDEX SECTIONVM,
& eorum, quæ ipsis in fine Opusculi fuere apposita.



DE

DE ANTIQVIORITATE FRANCISCANA.

SVMMARIVM.

1 *Occaſio Apologematis.*
2 *Antiquioritas Franciſcana quomodo Patribus de Obſeruantia aſſeratur.*
3 *Ipſorum rationes afferuntur.*
4 *Conuentualibus quare, & ex quot capitibus conueniat;*
5 *Per quæ diuiditur Apologema.*

1 SCRIBENDI hæc mihi cauſa. Apuliæ, quam Dauniam veterum antiquiores vocitabant, (nunc Principatus, & Comitatus Prouincias Regni Neapolitani indigenæ appellant) Ciuitas Epiſcopalis Iſernia, Cœnobium habet Minorum Conuentualium fundatum anno 1259. & aliud Minorum Obſeruantiæ ab anno 1506. agiturque inter hos Conuentus de præcedentia

in actibus publicis, ab anno 1662. quo cæpit hoc controuerti.

2 Hac occasione Assertor iurium Patrum de Obseruantia, vt ex antiquioritate ipsorum dignioritatem, & consequenter ius præcedendi deducat, licet per nudam assertionem absque iustificationibus enunciet, fidenter
3 tamen pronunciat, *quod Ordo PP. Obseruantinorum sit institutus, atque confirmatus priusquam Ordo Conuentualium, quia ille suam originem deducit à primæua Seraphicæ paupertatis institutione, nempè ab anno 1221. iste verò incæperit anno 1517. quo facta est diuisio Ordinis ex Constitutione Leonis X. Nec posse Conuentuales dici antiquiores in loco, quia licèt Conuentum habuerint Iserniæ ab anno 1259. Patres verò Obseruantini anno 1506. tamen quia à primæua institutione Ordinis non erat Religio Conuentualium in rerum natura, sed sumpsit initium ab anno 1517. vt liquet ex Bulla Leonis X. non potest pro Conuentualibus stare anterioritas temporis; nam antea tota Seraphica Religio vnum tantum corpus constituebat, communemque vitam agebat, vnica forma habitus, sub vnica Cruce, sub vnico Generali; at quia alijs*

deflectentibus à rigore paupertatis, alijs verò nequaquam, non conueniebant, anno 1517. deuentum fuit ad diuisionem Ordinis, cum assignatione nominis Conuentualium; firmo remanente Obseruantibus cum titulo Ministri Generalis totius Ordinis, ac sigillo Religionis, insignum maioritatis, & antiquioritatis originis; ideoque Conuentuales debere locum digniorem, ac præcedentiam antiquioritati præfatæ Obseruantinorum.

Et quia aliàs vel talia, vel similia à quibusdam (etiam Scriptoribus) licèt non tam apertè, enunciata fuerunt, & Nostrates tam manifestæ veritatis impugnationem paruipendentes, despectu, vires vel addidere, vel non minuere; ex debito, & Officij, & filialis obligationis, pro Religione, cuius (quamquam immeritus) sum, & Procurator, & filius, Prouinciam licèt duram suscipio, cum durissimum sit prima principia probare; quod tamen pro virium tenuitate aggrediar, pro-
4 bans antiquioritatem Franciscanam stare pro Minoribus Conuentualibus, qui nedum fuerint ante annum 1517. sed & ante annum 1220. Obseruantinis postea superuenientibus

poſt annum 1350. quod hoc ordine præſtabo.

5 Primo leuiter examinando quaſdam clauſulas allegationis adductæ.

Secundo probando antiquioritatem Conuentualium per Scriptores alienos, & Concilia.

Tertio eamdem aſſerendo ex confeſſione Scriptorum Obſeruantinorum.

Quarto id totum firmando per Summos Pontifices, ipſorumque Conſtitutiones.

Quinto adducendo rationes poſitiuas pro Conuentualibus.

Sexto pluribus ſectionibus præcludendo effugia, quibus eluſio tam claræ veritatis poſſet tentari. Sit igitur.



SECTIO PRIMA.

Leui examine perpenduntur quædam clausulæ aduersantes.

SVMMARIVM.

1 *Ostenditur primam rationem pro Obseruantinis non probare,*

2 *Secundam fallaciæ labe inficere argumentum,*

3 *Tertiam assertum non posse probare.*

4 *Quartam mendosè putari scriptam, ne dicatur oppositum probare.*

5 *Quintam contradictione vitiari.*

6 *Sextam ex repugnantia in terminis.*

7 *Septimam inuoluere contradictionem.*

8 *Octauam Conuentualium existentiam approbare, non reprobare.*

9 *Nonam deficere in fundamento, cum Bulla non habeat id, quod asseritur.*

10 *Sigilla Ordinis Minorum numquam tradita P. Generali de Obseruantia.*

11 *Qui nec vllam vnquam iurisdictionem exercuit in Conuentuales.*

1 PRima igitur clausula PP. Obseruantinos institutos, & confirmatos asserit (sed non iustificat) ante Conuentuales; sed non dicit quo anno instituti, quo confirmati, à quo Pontifice, vt opus esset, & vti dicam ego inferius; ipse verò non dicit, quia ante illum annum, per plura sæcula teneretur fateri extitisse Conuentuales.

2 Alia clausula deuiat à Chronologica temporis assignatione per confusionem abstracti cum concreto, effugitque à causa efficienti ad finalem, dicens, quod originem deducunt à primęua Seraphicę paupertatis institutione, nempè ab anno 1221. Fatebor paupertatem Franciscanam tunc incępisse; sed non quęrimus de paupertate, quęrimus de pauperibus, scilicet de ijs habentibus pro instituto arctiorem paupertatem quam Conuentuales, an incęperint ante, vel pòst Conuentuales, & an illa paupertatis sit causa finalis, vel originalis. Hęc duo non sunt confundenda, sed dilucidè, & seiunctim pertractanda.

3 Tertia clausula, quod Conuentuales incęperint anno 1517. gratis adducitur, cum non adducantur verba Bullę instituentis hunc Or-

dinem Conuentualium; & certè non possunt adduci, quia illa Bulla numquam quid tale, immò nec quid simile habuit.

4 Quarta clausula est non posse Conuentuales dici antiquiores Isernię, licèt habuerint Conuentum ab anno 1259. scilicet annis 247. ante PP. Obseruantinos, quorum Conuentus fuit ibidem fundatus anno 1506. In hac suspicor mendam Amanuensis, qui transcribendo errauerit, cum duo sęcula anterioritatis in loco, certissimè sufficiant ad statuendam antiquioritatem in Ciuitate Isernię pro Conuentualibus.

5 Quinta clausula non supplet, dicendo, quod anno 1259 non erat Religio Conuentualium in rerum natura, quia qui non est, non habet, si habere sequitur ad esse: Conuentuales, qui conceduntur habuisse anno 1259. debent concedi fuisse anno 1259. Vel enigma, vel contradictio

6 Sexta clausula, quod antea tota Seraphica Religio vnum tantum corpus constituebat, sine diuersitate habitus, crucis, Generalis &c. apertè pugnat cum clausulis præcedentibus, quia hęc tota Religio, si est aliquod totum,

habet partes, nec ſoli Obſeruantini poterant eſſe illa tota Religio, aliàs fuiſſet vnica pars, à qua non eſt totalitas, ſed ſimplicitas rei; vndo ſi pro partibus illius totius exiſtentis ante Leonem X. enumerandi ſint ſaltem duo Ordines, vel Ordo, & Congregatio, numquam excludentur Conuentuales ab hac ſaltim ratione partis, & conſequenter hæc pars (ſcilicet Conuentuales) quæ fuit quando erat illud totum præexiſtens Leoni X. non potuit incipere eſſe ſub Leone X.

7 Septima quoq; clauſula eodem pede claudicat; ſi enim ante Leonem X. alij deflexerunt à rigore paupertatis, alij verò nequaquam, iam habemus, quod ante Leonem X. exiſtebant Conuentuales deflectentes à rigore paupertatis, qui idcircò nequibunt dici incæpiſſe ſub Leone X.

8 Octaua clauſula in idem labitur, quia ſi anno 1517. deuentum fuit ad diuiſionem Ordinis, diuiſio ſeparauit præexiſtentes, nempe Conuentuales, & Obſeruantinos, quos ambos neceſſe eſt præextitiſſe diuiſioni, aliàs diuiſio, quæ ſecundum Ariſtotilem, & veritatem debet eſſe ſaltem bimembris, ni præextitiſſent,

& Conuen-

& Conuentuales, & Obſeruantini,non fuiſſet diuiſio. Quo & vlterius concludetur, quod ſi ante Leonem X. erat vnus Ordo, & à Leone diuidente cæperunt eſſe duo Ordines, ratione diuiſionis probabitur contemporaneitas; non antiquioritas, & ſic ratio non concludet, nec afficiet Conuentuales.

9 Nona clauſula *cum aſſignatione nominis Conuentualium*, aſſerit factam diuiſionem; & laborat morbo tertiæ, non dans verba illa imponentia tale nomen, quod præſtare debuiſſet, vt iuſtificatè probaret, ſed non præſtitit, quia gratis aſſeruit impoſitum à Leone X. nomen, quod obtinueramus ab Innocentio IV. anno 1250. vt infra ego fuſius oſtendam.

10 Ampulloſitati ſequentium non reſpondeo, quia ſunt extra aleam cauſæ, ijſque ſatis dedit Gabriel Faber Pariſienſis, tunc Procurator Ordinis demonſtrans, nec ſigilla Religionis vnquam fuiſſe data Obſeruantinis à Conuentualibus, quod & liquet ex numquam iuſtificato ipſorum aſſertò, & ex ipſo ſigillo Generalis Obſeruantini, cuius marginibus inſcribuntur hæc verba, *Sigillum Miniſtri Ge-*

neralis totius Ordinis Minorum, quibus verbis non erat, cur vterentur noſtri Generales ante Leonem X. cum tunc eſſet vnicus Ordo, nec vlla eſſet quęſtio de iuriſdictione; quoad ſubiectionem, ideòq; ſigillo Miniſtrorum non inſculpebantur illa verba; nec vnquam tranſijt ſigillum ab Ordine ad Ordinem, vt patet ex antiquiſſimis ſigillationibus factis ante Leonem X. à noſtris Generalibus, in quibus eędem effigies ſunt, quæ in noſtro actuali
11 ſigillo cernuntur; nec Generalis Obſeruantinus vllam vnquam exercuit iuriſdictionem in vel minimum Laiculum Conuentualem, vel Capuccinum, vel Tertij Ordinis Italici, vnde totus Ordo Franciſcanus ipſi nō ſubeſt, ſed ſoli Obſeruantini ſubſunt Generali Obſeruantino, cuius totalitas eſt mera titularitas. Ex quibus, alijſque diſertè adductis à Fabro prædicto *in ſuo Speculo Status Religionis Franciſcanæ Conuentualium* patet Bullas Leonis X. nec eſſe in vſu, nec vnquam fuiſſe, in ijs, datas executioni, tempuſque iam eſſe ipſas non amplius recantandi.

Hæc autem placuit attingere, vt euerſo Partis fundamento, noſtris fœlicior detur

manus, hiſque præmiſſis, quę deductiuè, & ad hominem, vt aiunt Dialectici, non verò aſſertiuè ſunt prolata, ad poſitiua, eaque iuſtificantiſſima fundamenta progrediamur.

SECTIO SECVNDA.

Antiquioritas aſſeritur Conuentualibus à Scriptoribus externis.

SVMMARIVM.

1 *Statuitur ratio computandi annos Ordinis.*
2 *Eminentiſs. de Luca antiquioritatem pro Conuentualibus ſtatuit.*
3 *Moriggia, Religionum originis Scriptor Conuentuales omnibus Franciſcanis fatetur antiquiores.*
4 *Marullus originem Obſeruantiæ poſteriorem Minoribus narrat.*
5 *Ricciolius itidem,*
6 *Imò & Laertius Cherubinus,*
7 *Cum Thoma la Grue,*
8 *Hieronymo Sorbo,*
9 *Raphaele Volaterrano,*

10 *Spondano,*
11 *Francisco Longo à Corriolano.*
12 *Ex Concilio Constantiensi quando incæperint PP. Obseruantini:*
13 *Et concordat Concilium Basileense,*
14 *Conuentuales appellantur communitas Ordinis in Constantiensi,*
15 *Vnde antiquioritas Conuentualium elucescit.*

1 HOs sine vlla animi affectione candidè locutos non ambigo, cum neutrius Ordinis essent, vnde sine labe, vel suspicione passionis humanæ audientur. Quia tamen initium Ordinis Minorum alij à primo recessu S. Francisci, alij ab adiunctione Sociorum, alij à confirmatione regulę, vel prima, vel secunda computant, hìc pro nunc supponemus ante annum 1220. incępisse Ordinem Minorum, non curantes de Scriptorum discrepantijs circa tempora illa ante 1220. sed procedentes ad ea, quæ ad nostrum punctum collimant.

2 Primo igitur loco Eminentiss. S.R.E. Cardinalis Ioannes Baptista de Luca, qui tot vocibus, quot volumina dedit, fœcundissimi,

& sapientissimi ingenij fœtus, conclamatur Orbis Magister, in suo libro, cui titulus, *Il Religioso prattico, cap. 33. num. 2. de fundatione, & nomenclatura,* hæc docet: *Fù istituito quest' Ordine in alcune grotticelle lontane dalla Città d'Assisi sua patria, in vn luogo chiamato Riuo torto;* & de nomine Conuentualium *num.* 5. subdit: *Fù fondata la Chiesa dedicata al nome dell' istesso Santo Patriarca, con vn Conuento conspicuo, il quale hoggi per antonomasia, per esser il primo Conuento, che si fondasse in questa Religione, si chiama il Sagro Conuento. Quindi segue, che à differenzà di quei Religiosi, li quali tuttauia in quei principij continuauano à viuere nelle capanne, e nelle grotte, secondo il primiero istituto Anacoretico, secondo vn' opinione, cominciassero à dirsi Conuentuali; ò pure secondo vn' altra opinione, che ciò seguisse, per denotare l'vnità, e communità della vita. In quei primi tempi Innocenzo IV. con vn suo Decreto, dichiarò, che potessero lecitamente adoprar questo nome, ò vocabolo di Conuentuali;* loquens verò de Ordinis diuisione sub Leone X. anno 1517. ibidem *num.* 11. subiungit: *All'incontro alli altri dell'istituto capaci di beni, e dell'entrate, rimase*

il sudetto antico nome di Conuentuali, con il proprio Generale; vnde ex ſententia Eminentiſſimi huius ingenij gens Conuentualis non eſt noua Mundo, nec nouum nomen, ſeu inſtitutum à Leone X. ſuſcepit, ſed retinuit *l'antico nome di Conuentuali.*

3 Secundo loco do Paulum Moriggiam Mediolanenſem ex Ordine Ieſuatorum, qui libro de origine Religionum *cap.* 73. tit. *Gl'Ordini, che ſotto S. Franceſco militano*, ipſos recenſendo, dat hæc præciſiſſima verba: *L'Ordine de Franceſcani Conuentuali, quali furono i primi, che ſeguitaſſero il Padre S. Franceſco, hebbe principio l'anno della commune ſalute* 1212. *L'Ordine de Zoccolanti hebbe principio da S. Bernardino l'anno della commune ſalute* 1412. In hoc igitur tribunali lata ſententia Moriggiana pro Conuentualibus, ipſis adiudicatur antiquioritas annorum ducentum.

4 Abbas Silueſter Marulus, ſeu Maurolicus Meſſanenſis in ſuo opere, cui titulus *Oceanus Religionum libro* 5. *tit. de Capuccinis*, dicit: *Da queſto Fra Paoluccio hebbe principio la Riforma de Frati dell'Oſſeruanza;* & loquens de Minoribus, in ſuo tit. ait: *Fra Paolo de Trincis nel-*

l'anno 1368. *nella Prouincia di S. Francesco, nel qual tempo cominciò à fiorir l'Osseruanza;* ex quo habetur antiquioritas Minorum Conuentualium per annos saltem 160. secundum computum Marulo.

5 P. Ricciolius Ferrariensis Scriptor insignis è Societate Iesu in sua Chronologia reformata *to.* 3 *par.* 3.*catalog.*6.de fundationibus Ordinum Militarium, & Claustralium, ità scripsit: *Franciscanorum Conuentualium Ordo à Sancto Francisco Assisinate institutus anno* 1207. *vel vt habet Genebrandus* 1209. *confirmatus est anno* 1212. *ab Innocentio III. & ab Honorio III. anno* 1223. & procedendo ordine temporum, deueniens ad suum annum, ait: *Minorum Obseruantiæ Ordo, dictus Lignipedum, seu Soccolantium, institutus à S. Bernardino Senensi circa annum* 1400.*reformante Ordinem S. Francisci,* vnde iuxta calculum P. Ricciolij præcessimus annis 193.

6 Laertius Cherubinus Collector, & Summator Bullarij magni *to.*1.*pag. mihi* 46. summando Bullam quintam Honorij III. incip. *Solet annuere &c.* Dat. Laterani 3. Kal. Decemb. Pontif. anno octauo, in Bullario, qui

fuit annus 1224 loquitur his verbis, *Primus Ordo est horum Fratrum Minorum, qui huius Regulæ stricta obseruantia ommissa, vixerunt iuxta priuilegia obtenta à Sede Apostolica, & nomen Conuentualium sortiti tempore Innocentij IV.* Item in Constitut. 5. Alexandri IV. *Ex parte vestra &c.* Dat. Later. anno primo, qui fuit 1254. sic summat, *Quod Fratres Minores Conuentuales Ordinis S. Francisci ad Episcopatus, & alias Dignitates promoti &c. to. 1. Bullarij pag. mihi* 83. Minoresque antiquissimos semper Minores Conuentuales nominat, vt patet, & ex duabus citatis, & ad Constitut. 4. Gregorij XI. de Protectore, & ad Constitut. 13. Martini V. declaratoriam Regulæ; & ad Constitut. 6. Sixti IV. &c. neque contemnendę auctoritatis est tantus homo, Iurista, Scriptorque præclari nominis.

7 Thomas la Grue traductor Alexandri Ross. lib. *De Religionibus Mundi diuis.* 10. de Franciscanis ait: *Conuentuels, & Obseruants, ceuxique manioient point d'argent, ne mangeoient point de chair, & ne portoient de souliers: ils s'augmenterent extremement dans toutes les contrees, principalement en Italie: ils furent confirmez* parle

par le Concilie de Costance, e diuers Papes; vnde est hic, qui inter nuperos Auctores scripsit anno 1669. descriptis Obseruantinis, ipsorum originem deducit ad Concilium pro anno 1414. ante quem nos eramus per annos etiam ducentos, & vltra.

8 P. Hieronymus à Sorbo Capuccinus *compend. priuileg. in addit. initialib.* ait: *Reformatio Fratrum de Obseruantia exijt à Fratribus Conuentualibus, & cœpit ab anno circiter* 1414. *iuxta Concil. Constantiensis Decretum; sed ei formam, & ordinem dedit postmodum B. Bernardinus de Senis sub Eugenio IV. Summo Pontifice anno Domini circiter* 1430.

9 Raphael Volaterranus Commentar. Vrban. Antropologiæ *lib.* 21. *tit. Franciscus, eiusque &c.* ita scribit: *Bernardinus Senensis à Nicolao V. in catalogum relatus: Is collapsum Ordinem in frugalitatem, obseruantiamque reduxit*; & consonat cæteris, qui ad sæculum Christi quartumdecimum, quo floruit S. Bernardinus, reducunt Obseruantiæ, vel initium, vel maiorem propagationem.

10 Spondanus Annalista Ecclesiasticus, eumdem ortum tradidit sub temporibus S. Ber-

nardini, nam anno 1419. *num*. 5. sic ait: *Hic autem est Sancto Bernardino, qui Monasteria Fratrum Minorum, quos ab antiqua S. Francisci seueritate sensim recessisse videbat, ad veterem disciplinam reuocandam adduxit, vnde diuisio facta dicitur Conuentualium, & Obseruantinorum, qui Bernardini reformationi adhæserunt.*

11 P. Franciscus Longus à Coriolano Capuccinus in suo Breuiario Chronologico Pontif. & Conciliorum, sub anno 1414. ait, *Hoc anno initium habuit Reformatio Fratrum de Obseruantia: sed ei formam, & ordinem dedit postmodum B. Bernardinus de Senis sub Eugenio IV.* 1430.

12 Concilium Constantiense, à quo primo subtracti Obseruantini aliqui in vltramontanis regionibus à Conuentualium aliquali obedientia à præcitatis Auctoribus nec hilum distat in temporis supputatione, nam apud Labe *to*. 12. *Concil. sess*. 19. per Decretum datum Constantiæ Kal. Octobris 1414. incip. *Sacrosancta Constantien. Synodus, dilectis Ecclesiæ filijs Generali, & Prouincialibus &c.* circa, vel paulo post initium habet hæc verba, *His tem-*

poribus nouissimis regularis Obseruantia vestri iam dicti Ordinis in præfatis Conuentibus inceperat vigere. Quæ igitur obseruantia circa tempus Concilij huius *inceperat vigere*, per Concilium declaratur, non antiqua, sed recens pauculorum Conuentuum Congregatio, quorum aliquos ipsum Concilium enumerat in Decreto, *quæ non habuit ex hoc*, vnde de antiquitate competeret cum antiqua Religione Minorum, quæ iam à duobus sæculis fuerat fundata.

13 Concilium Basileense sub ijsdem terminis loquitur de Obseruantinis, cum in suo Decreto sub datum 6. nonas Octobris 1435. confirmando Decretum Constantiense, dicat, *Nobis petitio exhibita continebat, quod olim pro parte Guardianorum, & Fratrum Conuentuum de Sancto Andomaro &c. Sacræ Constantiensi Synodo exposito, quod Diuina cooperante clementia, temporibus illis, vt dicebant, regularis Obseruantia dicti Ordinis in præfatis Conuentibus inceperat vigere.* Igitur Obseruantia *temporibus illis* Concilij Constantien. scilicet anno 1414. *vt dicebant*, per propriam veri confessionem ipsimet Obseruantini ex-

ponentes, tunc ſolum *incæperat vigere*; vnde ante annum 1414. vel erat Obſeruantia, quod erit contra Concilium; vel non erat, & ſic tunc incipiens, eſt recentior, non antiquior Minoribus Conuentualibus per Obſeruantiam reformatis. Hoc Decretum Baſileenſe proſtat in libro, cui titulus *Monumenta Ordinis Minorum*, Salmantinæ impreſſionis anno 1511. impenſis Ioannis de Porras ad petitionem PP. de Obſeruantia, in quo regiſtratur ex autentico proceſſu primo tract. pagina 123.

14 Sed lubet adhuc aliam periodum citati Decreti Conſtantienſis animaduerſioni ſubijcere. Multa ſtatuuntur in ipſo circa gubernium, & itinerantibus præfigitur hæc regula: *Statuimus, quod quando huiuſmodi Obſeruantes peregrinationis ſtudio, vel aliàs per Mundum proficiſcentur, ad loca, & Conuentus communitatis Ordinis declinent, ſi voluerint; ad alia verò loca Fratrum in Obſeruantia ſibi ſimilium ſemper declinare teneantur*. Non eſt autem cur diſputemus, quænam eſſet hæc Religio, quæ anno 1414. vocabatur *communitas Ordinis*, cum tunc ex Franciſcanis vltra Ob-

ſeruantinos ſoli eſſent Minores ſub ſuo Miniſtro Generali, & conſequenter communi-
15 tas Ordinis nihil aliud erat, quam Ordo ille Minorum, qui Vicarios non petebat à Concilio, ſed remanebat ſub ſuis Miniſtris; Atqui hic Ordo remanens ſub Miniſtris, & appellatus *communitas Ordinis*, permanſit ſub ijſdem Miniſtris vſque ad annum 1517, & adhuc permanet, & in Bullis Leonis X. datis anno 1517. hic idem Ordo à Leone vocatur *Ordo Minorum Conuentualium*, ergo non poteſt vocari in controuerſiam, an Conuentuales Leonis ſint illi Minores Concilij Conſtantienſis, & quia Minores Concilij Conſtantienſis nec incæperunt ſub Leone, nec ſunt poſteriores Obſeruantinis, qui tunc cæperunt ſeparari à communitate Ordinis, ideo neque Conuentuales vel cęperunt ſub Leone, vel ſunt poſteriores Obſeruantinis. Vt autem hęc ratio viuacius afficiat, ſeu percipiatur, liceat ipſam traducere ad formam dialecticam, ita ſyllogizando: Pro communitate Ordinis ſtat antiquioritas Franciſcana, ſed Conuentuales ſunt communitas Ordinis, ergo pro Conuentualibus ſtat antiquioritas

Franciſcana, minoris do probationem: Illa Religio, quæ erat ſub Miniſtris tempore Concilij Conſtantienſis eſt communitas Ordinis, ſed illa Religio, quæ tunc erat, & nunc eſt ſub Miniſtris, eſt Religio Conuentualis, vt patet per dictas Bullas Leonis X. ergo Religio Conuentualis eſt communitas Ordinis, Meæ quidem obtuſitati non eſt facillimæ enodationis hæc vrgens ratio, deducta à Concilio Conſtantienſi, cum ſit omnino ſophyſtica, deſitio Minorum per Bullas Leonis, quæ hìc probabitur eſſe cauillus, ac anilis fabella.

SECTIO TERTIA.

Antiquioritas Conuentualium comprobatur confeſſione, & conſenſu Scriptorum ex Ordine Obſeruantiæ.

SVMMARIVM.

1 *Scriptores Obſeruantinos ſtetiſſe pro antiquioritate Conuentualium:*

2 *Quorum primus P. Emmanuel Rodericus ità ſenſerit.*

3 *Conſenſerit P. Ludouicus Miranda,*

4 *Et P. Marcus Vlissiponensis in Chronicis,*
5 *Imò & P. Franciscus Gonzaga Ex-Generalis,*
6 *Cum P. Henrico Sedulio,*
7 *Et B. Ioanne Capistranensi,*
8 *Ac P. Arturo Monasteriensi,*
9 *P. Petro de Alua, & Astorga,*
10 *P. Haroldo Compilatore Vvadingi;*
11 *Et Auctore Orbis Seraphici.*

1 ANtiquiores Obseruantinos, seriosque ex ipsis Scriptores, ab huius veritatis confessione non abhorruisse, patebit, ipsorum dicta recensendo: Nostro etenim solo hoc sęculo cęptus est audiri qui mussitet in oppositum, clanculum equidem, & vel subobscure, vel amphibologicè à principio; iam autem sensim inualescendo, apertè, ac in præpatulo, & in supremis tribunalibus, vt nemine reclamante repetita, vel locum inter vera occupasse, vel sibi ius ad repetitionem præscripsisse viderentur contra conscientiam veri.

2 Aderit igitur primus P. Emmanuel Rodericus ab Obseruantia *quæst. Regular. & Canonic. to. 1. quæst. 2. art. 3.* dicens: *Reformatio*

Fratrum de Obseruantia exijt à Fratribus Conuentualibus, & cæpit anno Domini circiter 1414 *iuxta Concilij Constantiensis Decretum: sed & formam, & ordinem dedit postmodum Bernardinus de Senis, vir egregiæ sanctitatis, & gratiæ, & feruoris*. En igitur quam apertè declaretur à P. Obseruantino, quod Religio, quæ est Matrix, Mater, fons, & scaturigo Minorum appellatur *Religio Conuentualium*, *& Reformatio Fratrum de Obseruantia exijt à Fratribus Conuentualibus*, vtpote filialis Religio à sua Matre, quæ certè cum sit Mater, nequibit non esse antiquior filia. Scribebat Rodericus tempore Sixti V.

3 P. Ludouicus Miranda itidem Obseruantinus in suo Manuali Prælatorum Regularium *quæst.* 12. *artic.* 2. *concl.* 3. ait, *Cum nostri Sacri Ordinis Fratres à sua professione, & stricta nostræ regulæ puritate, sed maximè quoad strictæ paupertatis obseruantiam, vtcumque cæpissent deficere ab anno* 1226. *vsque ad annum* 1380. *industria cuiusdam Fratris Laici, Paulus de Trincis nuncupati, Ordo, & Religio nostra diuersis in locis cæpit reformari*; & secundum hunc Scriptorē Obseruantia cæpit ann. 1380.

P. Marcus

4 P. Marcus Vlyssiponensis Obseruantinus Scriptor Chronicorum Ordinis, ac deinde Episcopus, *Chronic. parte 2. lib. 9. cap. 26. B.* ait: *In questo tempo Fra Paolo Trinci da Foligno, di nobil Casata, Laico, ma di gran santità, e zeloso della Religione, hebbe licenza da questo Generale* (qui Generalis fuit Frater Thomas Frinianus à Mutina, postea Cardinalis, perperam à Scriptoribus dictus aliquando *Farignanus,* cum adhuc vigeat ipsius familia Mutinæ patritia, Italicè *Frignani*, cognomine fortè deriuato à Prouinciola *Friniani*, in qua sextula, Fananum &c. inter fines Bononiensium, Lucensium, atque Mutinensium, horumque ditionis est) *di stare nell'Eremo di Burliano; e frà trè anni hebbe il detto Fra Paolo licenza dal Generale di habitare in vndici luoghi già abbandonati; e di questa maniera hebbe origine la fameglia delli Osseruanti, con lo spirito del Signore, & autorità dell'Ordine, e del Generale;* qui Generalis regebat eo anno 1368. quo Fulginei celebrato Capitulo Prouinciali, petitionibus Hugolini Trincij, Fulginatum Reguli, obtinentis Brulliani locum pro consanguineo Fratre Paulo concessit.

5 P. Franciſcus Gonzaga Ex-Generalis Obſeruantinus, & poſtea Epiſcopus Mantuanus, *Hiſtor. de orig. Seraph. Relig. par.* 1. *tit. Obſeruantiæ regularis exordium*, loquens de Generalibus, ait: *Leonardus de Giffonio* (qui fuit Generalis Ordinis) *anno Domini* 1373. *qui pullulantem huiuſmodi Congregationem maximis fauoribus, maximaque beneuolentia proſecutus eſt, prædictumque Fratrem Paulum de Trincis editis patentibus litteris, in ſuo viuendi modo eſt confortatus;* iam enim quinquennis facta erat Trinciana recollectio, quæ cæperat anno 1368. dabanturque patentes à Giffonio ſub anno 1373.

6 Henricus Sedulius ex Obſeruantia in ſua Hiſtoria Seraphica Sanctorum Minoritarum in vita Sancti Bernardini *cap.* 19. *Commentar.* loquens de propagatione Obſeruantinorum ab ipſo facta, ideòque conteſtis de tunc paulatim creſcente familia, ait: *Vixerant in Italia viginti loca Fratrum, ipſo mortuo ad ducenta creuerunt, eoque amplius.*

7 B. Ioannes de Capiſtrano Obſeruantinus, Sanctique Bernardini contemporaneus, & vitæ Scriptor, idem confirmat, *nam tempore,*

quo S. Bernardinus Religionem ingressus est, erant in Italia vix centum triginta Fratres Ordinis de Obseruantia nuncupati: tempore sui transitus multiplicati fuerunt ad amplius quatuor millia, ait ipse apud Sedulium loco citato.

8 P. Arturus à Monasterio Rothomagensis Recollectus ex Obseruantia, Auctor Martyrologij Franciscani, in annotat. ad 17. Septembris ʃ.30. hæc ait: *Venit Generalis Minister B. Thomas de Frignano eam in Vrbem, Comitia celebraturus anno* 1368. *quibus expletis petijt vir Princeps præfatus Hugolinus huic suo consanguineo, & pauculis Socijs tuguriolum concedi Brulliani, quod gratanter à Prælato accepit;* narrato autem numero Fratrum, qui confluebant, quosque non capiebant Brulliani angustiæ, ad dit, quod Frater Paulus *obtinuit proinde infra breue tempus à prædicto Generali Ministro, eiusque successoribus loca Carceris B. Francisci, Pistiæ, Iani, Montis Iouis, Stronconij, in quibus initiabantur qui ex sæculo veniebant.*

9 P. Petrus de Alua, & Astorga Ex-Procurator Ordinis Obseruantiæ, in eo è suis libris,

cui titulus *Naturæ prodigium*, in apparatu operis, tabula 5. fatetur, *quod anno* 1442. *initium sumpsit Reformatio, cuius Auctor fuit S. Bernardinus, dicta Zoccolantium.*

10 Vvadingi Compilator P. Haroldus è Strictiori Obseruantia Scriptor laudatissimus, in Annalibus &c. ad ann. 1368 n. 5. narrata Brulliani cōsecutione, subdit: *Hic ergo Pauluccius aduocatis Socijs, ea regularis Obseruantiæ iecit fundamenta, quæ in ingens ædificium surrexerunt, nullo vnquam tempore ruiturum;* & ex tunc iacto primo fundamento Obseruantiæ Obseruantiam tunc incæpisse non diffitetur.

11 Omnium verò nouissimus, qui nunc prodijt in lucem *Orbis Seraphicus* à P. Dominico de Gubernatis à Sospitello è Strictiori Obseruantia editus, licet hoc to. 1. lib. 5. enumerãdo Minorum Reformationes, hanc Trincianam à Pauluccio subticuisse maluerit ex industria, libro tamen 3. eiusdem primi tomi, §. 23. n. 2. de Ministro Generali Friniano hæc dedit verba: *Regularis Obseruantiæ fundamenta mirificè promouit, dum Brulliani locum, primum huius amplissimæ reformationis tuguriolum, petente Hugolino de Trincis B. F. Pauluccio de Trin-*

cis perbenignè concessit. Et ibidem ʃ.24. n.4 de Generali Ministro Leonardo Giffonensi subdidit: *Fr. Pauluccium Fulginatem, eiusque sequaces Regularis Obseruantiæ fœlicia primordia, sincero affectu, magnis impertitis priuilegijs protexit*; inferius autem de Generali Ministro Angelo de Pireto ʃ.29. num. 1 ait quod hic *Nouellam Congregationem Regularis Obseruantiæ Henricum æmulatus, singulari prosecutus affectu*, qui quidem tres Generales ante completum secundum Religionis sæculum regebant, & consequenter, si fuerunt *Obseruantiæ fundamenta* sub Friniano dante *Brulliani locum primum* huius *reformationis*, eiusdemq; *fœlicia primordia* sub Giffonensi, vnde adhuc regente Piretto *nouellam Congregationē* decuit appellari, concordat Author cæteris in assignando tempore quo cæpit reformatio ab ijs de Obseruantia, nempe sub Friniano.

Constat igitur per Scriptores PP. Obseruantiæ de tempore quo incæpit Obseruantia, vellemque in tali materia semper recordarentur nos disputare de tempore, non de instituto, ideſt quis Ordo sit magis antiquus, non qui magis pauper.

SECTIO QVARTA.

Per Romanorum Pontificum Constitutiones asserta antiquioritas vltra annum 1517. euidentissimè protrahitur.

SVMMARIVM.

1 *Ante annum 1517. extitisse Conuentuales habetur à Bulla Leonis X.*
2 *Et ab alia Alexandri VI.*
3 *Et Sixti IV.*
4 *Pauli II.*
5 *Pij II.*
6 *Altera eiusdem Pij;*
7 *Idem enunciat Calistus III.*
8 *Et Nicolaus V.*
9 *Eugenius IV.*
10 *Iterumque idem Eugenius IV.*
11 *Ex quibus anterioritas centum trium annorum est probata,*
12 *Sed & aliunde tercentorum annorum.*

STabili, eoque solidiori petra firmabitur antiquioritati Conuentualium fundamen-

tum, si è Petri Cathedra audiantur Apostoli successores Pontifices, ipsorumque statuta; à quibus si habeam Conuentuales extitisse ante annum 1517. certè ruet omnino nouitas Conuentualibus attributa, consistetque ipsorum antiquioritas supra tempus assertum, sed non probatum in allegatione.

1 Proximior igitur temporibus Leonis X. adducatur Iulius II. *Celebrato Capitulo &c. Datum Romæ apud S. Petrum 7. Septembris, Pontificatus anno quinto*, qui fuit 1508. & habetur in citat. *Monum. Ord. Min. tract. 1. fol. mihi* 211. supprimens autem Capucciatos, ait ibi, *sub obedientia Ministrorum, Generalis simul, & Prouincialium, vel Vicariorum Generalis simul, ac Prouincialium, Conuentualium, & de Obseruantia respectiuè, purè, immediatè &c.* Hìc igitur nominantur Conuentuales, & non tamquam futuri, seu possibiles, sed tamquam actuales, quia ipsorum iurisdictioni subduntur Capucciati cumulatiuè, &c.

2 Alexander VI. præcessor Iulij, *Dudum pro parte &c. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum 27. Nouembris, Pontificatus septimo*, qui fuit

anno 1499. & habetur in citato *Monum. Ord. Min. in processu fol. mihi* 98. *Ordinis Fratrum Minorum professoribus Conuentualibus nuncupatis . . . . . nonnulli ex eisdem professoribus Conuentualibus . . . . . ab obedientia Ministrorum, Generalis, & Prouincialium Fratrum Conuentualium eorumdem*; & adhuc quater repetit nomen Conuentualium in eadem Bulla circa transitum ab vna ad aliam harum duarum Religionum &c.

3 Sixtus IV. (qui ad Pontificatum è Conuentualibus assumptus, sicut & ipsi fatentur Obseruantini, vt infra adducam) optimè nouerat hæc discrimina nominum, & Ordinum, subdens Tertium Ordinem per illam incip. *Romani Pontificis &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno* 1471. 18. *Kal. Ianuarij, Pontific. anno primo*, quæ habetur apud *Antonium de Sillis in priuileg. sui Tertij Ordinis to.*2. *pagina mihi* 48. ait, *Visitatorem, seu Confessorem dicti Ordinis Fratrum Minorum Conventualium, &c.*

4 Paulus II. *Cum Sacer Ordo Fratrum Minorum &c. Dat. Romæ apud Sanctum Marcum pridie Kal. Martij* 1466. *Pontific. anno tertio*; & est

& est Bulla Concordiæ, quę extat *in firmamento Trium Ordinum parte 2 tract. 1. fol. mihi* 48. ait, *Ad amputandas dissensiones inter Fratres ipsos, qui Conuentuales, & qui de Obseruantia nuncupantur .... ne loca Conuentualium, aut Monasteria Monialium ..... à cura ipsorum Conuentualium auferantur tentare, &c.*

5 Pius II. *Super gregem Dominicum &c. Dat. Romæ apud S. Petrum* 1463 *nonis Nouembris, Pontificatus anno sexto*; & habetur *in firmamento trium Ordinum parte* 2. *tract.* 1. *fol: mihi* 47. prohibens mutuas occupationes Conuentuum &c. *Vniuersis Fratribus tàm Conuentualibus, quàm de Obseruantia ...... inhibuimus, ne ipsi sibi inuicem, Conuentuales videlicet illis de Obseruantia nuncupatis, & illi de Obseruantia Conuentualibus Fratribus domos, aut loca, &c.*

6 Idem Pius II. *Pro nostra &c. Dat. Romæ apud S. Petrum* 1458. *v. kal. Octobris, Pontific. anno primo*; & est in *Monum. Ord. Min. tract. processus fol.* 86. separans dictos Ordines, ait: *Fratribus Ordinis B. Francisci tàm Conuentualibus, quàm de Obseruantia nuncupatis.*

7 Calistus III. *Illius, cuius in pace &c. Datum Romæ apud S. Petrum 1455. IV. nonas Febr. Pontific. anno primo*; & habetur in *firmam. trium Ord. parte 2. tract. 1. de priuileg. fol. mihi 42. Tàm Conuentualibus, quàm de Obseruantia Fratribus prædictis ...... ne ipsi de Obseruantia sub nomine Conuentualium, &c.*

8 Nicolaus V. *Cum ad Sacrum &c. Datum Romæ apud S. Petrum 1454. VIII. Idus Ianuar. Pontif. anno tertio: Licèt olim super diuersis quæstionibus ...... quæ inter Conuentuales, & de Obseruantia nuncupatos &c. in firmam. cit.*

9 Eugenius IV. *Ordinis tui &c. Dat. Romæ apud S. Petrum 1446. VI. nonas Februarij, Pontif. anno decimosexto*; & dirigitur ad Fratrem Iacobum de Primaticijs Vicarium Obseruantinorum, extans *in firmam. trium Ord. parte 2. tract. 1. de priuileg. pag. mihi 36. Sanè cum post concordiam inter filios Fratres, qui dicuntur Conuentuales, & vos &c.*

10 Idem Eugenius IV. *Fratribus omnibus &c. Datum Senis 1443. Kal. Augusti, Pontific. anno decimotertio*: ex firmam. cit. fol. mihi 34. ad Ioannem Mahubert Vicarium Obseruantinorum: *Acceptandi Fratres Conuentuales, dum-*

modo suis Ministris non sint rebelles ...... non tamen loca Conuentualium possis, seu possint recipere, &c.

11 Cùm igitur allata Pontificum diplomata loquantur, non implicitè, non subillatiuè, non deducibiliter, sed explicitè, conuincenter, apertè, & in terminis (vt dici solet) terminantibus, constabit, quòd nomen, & Ordo Conuentualium non incæperit anno 1517. sub Leone X. cum eiusdem nominis, & Ordinis repetitio, & continuatio in Pontificijs Bullis reperiatur ab Eugenio IV. ad Leonem X. scilicet annis septuaginta quatuor ante tempus assertum, cui si addas annos ab Eugenio IV. ad Concil. Constantien. scilicet ad annum 1414. cum à Leone X. ad illud Concilium medient anni centum & tres, certè corruet recentioritas Conuentualibus imposita, ipsique ex hoc capite reperientur plusquam integro sæculo præcessisse.

12 Sed licèt sæculi præduratio ex hoc capite colligatur, hæcque sufficiat ad probandum non incæpisse anno 1517. non sufficit tamen Conuentualibus, optimè scientibus se adhuc antiquiores, vt Eminentiss. de Luca, Morig-

gia, Maurolicus, Laertius, Ricciolius eltati, alijque infra citandi pro adhuc maiori antiquioritate, qua Leoni X. præextitisse per annos plusquam tercentos, apertissimè constat.

SECTIO QVINTA:

Eadem antiquioritas Franciscana Conuentualibus adiudicatur rationibus.

SVMMARIVM.

1 *Nomen ipsum Reformati recentioritatem innuit Obseruantiæ.*
2 *Conceptis verbis Rodericus, & Sorbus exprimunt deriuationem Obseruantinorum à Conuentualibus.*
3 *Fundator, qui anno 1517. Conuentuales instituisset, assignaretur, si essent tam recentes:*
4 *Sed verè sunt antiquiores, quia corpus Sancti P. Francisci ipsi custodiunt.*
5 *Non omnes Generales sepulti apud Minores.*
6 *Duodecim Generales Minorum Cardinalatu decorati enumerantur.*

7 Vbinam aliqui ex ijs sepulti.
8 Generalium antiquiorum sepulcra in Ecclesijs Conuentualium,
9 Ex quorum antiquitate patet antiquioritas Conuentualium, & quod tunc extiterint.
10 Et in antiquioribus Ordinis Seraphici Conuentibus permanent.
11 Inquisitiones exercent, & Magisterium retinent.
12 Quodque magis est, Superioribus Conuentualium subijciebantur Obseruantes, quibus numquam subiacuere Conuentuales.

1 ET sanè si grammaticaliter causa esset pertractanda, sententiam pro Conuentualibus latam à nomine partis exscriberemus; nam Patres de Obseruantia se dicunt Reformatos, & reformasse Minores, declinantes rigorem paupertatis, per Pontificia priuilegia, vt liquet ex Scriptoribus Obseruantinis datis hìc sectione tertia. Ast reformare est iterum formare id, quod prius fuerat formatum, & consequenter praeexistebat, & id, quod per ipsos reformatur, est Ordo Franciscanus, qui non poterat non fuisse antecedenter forma-

tus, & prȩexiſtens: Hic autem Ordo antiquus præexiſtens reformationi Obſeruantinæ, non erat Ordo Obſeruantiæ, quia tunc iſta reformabat, non reformabatur; nec erat Ordo Strictioris Obſeruantiæ, quia hic emanauit à laxiori ſtatim poſt Leonem X. nec erat Tertius Ordo, quia hic non obnoxius altiſſimæ paupertati non indigebat reformatione; nec erat Ordo PP. Capuccinorum, quia ipſi in rigidiori perſeuerant paupertate; nullus autem alius eſt reliquus Ordo Franciſcanus, niſi hic Minorum Conuentualium, qui tempore præcederet, & à paupertate in communi recederet, ideoque hic erat Ordo, qui reformabatur, & præexiſtebat.

Nec habeo quid addam circa veritatem aſſumpti, niſi à Grammaticis mutuatum, per hos enim eſt certum, quod particula *Re*, quæ dicitur prȩpoſitio compoſitionis, facit hunc ſenſum, quod iteratam, ſeu nouam, vel replicatam operationem ſignificat, vnde dicimur domum reficere, librum relegere, ideſt domum iterum facere, librum denuo legere: ſicque reformare erit iterum formare, & quaſi formam deperditam reſtituere, aut producere,

quæ erat in casu rigiditas paupertatis restituta in communi.

2 Ex qua eadem radice germinat alia affinis hęc ratio ab origine PP. de Obseruantia deducta. Rodericus Obseruantinus, Sorbus in sect. 2. cit. hic sect. 3. dicit, *quod Reformatio Fratrum de Obseruantia exijt à Fratribus Conuentualibus*, cæterique Scriptores Obseruantini adducti, fatentur Reformationem hanc cępisse à Fratre Paulo Trincio, qui antequam reformaretur erat Conuentualis, & adhuc postquam reformatus, obcęcatus est vtroque oculo, & redijt ad suum pristinum Conuentum Fulginei, in quo est mortuus, & sepultus inter Conuentuales, inibi adhuc commorantes; aiuntque concorditer Heremitorium Brulliani, primum scilicet locum Obseruantinorum fuisse concessum à Generalibus eiusdem Ordinis, à quo prodibat ad reformationem. Ex quo claret origo Obseruantiæ ab Ordine illo Minorum, iam Conuentualium; sed certè omne originatum, seu productum est posterius suo producente, seu eo, à quo originatur, aliàs filius posset esse senior patre, & descendens super ascendentem locari in

arbore consanguinitatis, & ideo non est locus impugnandę antiquioritati Conuentualium Ascendentium, per Obseruantinos Descendentes, *quia Obseruantia exijt*, idest descendit *à Fratribus Conuentualibus*, iuxta verba Roderici Obseruantini, Sorbi &c.

3 Dabo tamen manus vinctas, spontèque fatebor & ego recentioritatem Conuentualium, si huius nouæ Religionis saltem Fundatorem, exilitatem, incrementum quis tandem assignet; quod facillimum fore putauero, cum in re adeò recenti, & consequenter perspicua, peruius sit accessus ad fontem, eaque ratione, qua ego iam tradidi Obseruantiæ exordium à Trincio, progressum eiusdem ad quatuor loca subinde concessa à Generali Friniano, hinc ad duodecim loca sub Generali Giffonensi, postea fęliciorem propagationem per S. Bernardinum; idipsum poterit ab ipso præstari de Conuentualibus. Et sanè, id optimè aduertebat P. Magister Gabriel Faber Parisiensis, Procurator Generalis Conuentualium *in suo Speculo Status Religionis Franciscanæ, cusso Parisijs anno* 1626.*pag*.75. & stupebat rem nouam, anno 15.17. incipientem, tam cito

tam cito in suo fonte submersam, aboleta memoria Fundatoris, vel incæptoris, tamquam corpus acephalum capite carere, cum cęterorum omnium, etiam antiquissimorum Ordinum Fundatores nouerimus, Conuentualium autem non assignetur ab ipsis imponentibus nouitatem; vnde gratis asseri hæc nouitas conuincitur, ex hoc, quod non possit probari, quomodo, à quo, cur, vel vnde cæperit, nisi dicendo, quod à Sancto Patre Francisco fundetur, vnde ruat nouitas.

4 Sed rogo. Quis nouæ huic Familiæ antiquum, primumque patremfamilias dedit custodiendum? Ecquis ad insignem illam Basilicam Assisientem, à primo Generali post Sanctum Patrem Franciscum constructam, nuperos traduxit Franciscanos Conuentuales? A quonam Pontificum datæ Bullæ pro nouę Religionis introductione? Quęue Religio è Franciscanis ante Conuentuales hosce subortos anno 1517. possidebat Basilicam tumulo Diui Patriarchę toti Mundo conspicuam? Certè, quod Religiosus apud suos Correligiosos, quod pater à filijs sepelliatur, homo cordatus non inficiabitur. Quod Sancti

Religionum Patriarchę apud professores à se institutę Religionis tumulentur, neminem, vel modicę lectionis latebit. An non Sanctissimi Patriarchę, Benedictus in Monte Cassino, Dominicus Bononię, Augustinus Papię, Benitius Tuderti, Ignatius Romę, Gaetanus Neapoli, in suorum filiorum Ecclesijs tumulati, suę mortalis sarcinę patrimonio hos filios declararunt, quos ditauerunt hęreditate sui corporis? Atqui Ecclesiarum Ordinis Mater Sacrosancta Asisiensis Basilica (de qua Gregorius IX. *Is, qui Ecclesiam &c. Dat. Laterani* 10. *Kal. Maij* 1230. idcirco asserit, *quod Ordinis, cuius Institutor, & Pater extitit Confessor prædictus, habeatur caput, & Mater, ac in ea per Fratres eiusdem Ordinis perpetuò seruiatur)* & Corpus S. Patris Francisci conseruat, & anno 1230. concessa Conuentualibus eiusdem Fundatoribus in solo Pontificio semper vsque ad hodiernum diem fuit Conuentualium, & numquam vlla alia Religio ipsam possedit, nec Sanctus Patriarcha inter alios, quam inter suos filios, est mortuus, sepultus, atque translatus; nec ab alijs funerum, Templique honorem est sortitus. Quis igitur con-

tendat, poſſidentes ab anno 1227. ad annum 1682. Corpus ſui Sancti Patris, antiquioritate præcedere ſubnaſcentibus ad annum 1358? Hoc idem deducatur ex poſſeſſu Corporis S. Antonij Bulionij Vlyſſiponenſis in Eccleſia Conuentualium Paduæ (vnde & ab incolatu Antonius Patauinus appellatur) ſumma Fidelium deuotione, parique magnificentia ſeruati.

5 Quibus addo ſepulcra Generalium antiquorum, qui in primis Minorum ſæculis, vices Diui Patris geſſere, ac apud filios tumulati conſpiciuntur. Noui quidem duodecim ex ijs purpuratos à Summis Pontificibus, quos mihi omnes ad id aſſerere non valeam, cum facti ſui iuris, ordiniſque altioris, ad noſtrates non omnes fuerint appoſiti. Minorum etenim Generales duodecim, cineres Franciſcanos purpureis decorauere ſplendoribus ad Cardinalitiam dignitatem, & in ipſo miniſteriatu euecti.

6 Horum primus Fr. Bonauentura Fidantia Balneoregienſis è Prouincia Romana, poſt octodecim annos Generalatus, ad Cardinalatum eſt aſſumptus per Gregorio X. anno 1284.

postea solemni apotheosi Diuis adscriptus. Secundum, ferax Mater honorum pro Minoribus, dedit Piceni Prouincia in Fr. Hieronymo Liscianensi Sub-Asculano, quem post administratam quinquennio Religionem è suprema ipsius Præfectura per Cardinalatum Nicolaus III. anno 1278. vocauit ad maiora, maximis natum, futurumque Summum Pontificem Nicolaum IV. Tertius Matthæus Aquaspartanus Vmber Generalatus biennio nondum expleto à Nicolao IV. anno 1288. Cardinalatu donatus. Quartus Ioannes Minius à Muro Picenus septennium Generalatus explens à Bonifacio VIII. anno 1302. creatus Cardinalis. Quintus Fortanerius Vassallus Aquitanus completo sexennali Ordinis regimine ab Innocentio VI. anno 1361. Cardinalitia purpura insignitus. Sextus Gullielmus Farinerius itidē Aquitanus ab Innocentio VI. anno 1356. nouennalis Generalis auctus Cardinalatu. Septimus Marcus Viterbiensis è Romana Prouincia septennio Generalatus exacto, Vrbano V. anno 1363. ad purpuram Vaticanam promouente. Octauus Thomas Frinianus à Mutina, ac Prouincia Bononiensi,

Religione ſexennio, vel circiter, recta ab Vrbano VI. anno 1378. Cardinalibus adſcriptus. Nonus Leonardus de Rubeis à Giffonio in Fœlici Campania, & Prouincia Neapolitana, ſub Vrbano VI. anno 1381. reperitur in ſerie Cardinalium. Decimus Ludouicus Donatus Venetus, poſt trimeſtrem Generalatum ab eodem Vrbano VI. anno 1381. eſt inter Cardinales accitus. Vndecimus Franciſcus à Ruuere Sauonenſis, adminiſtrata quinquennio, vel circiter, Religione à Paulo II. anno 1468. creatus Cardinalis, & deinde à Cardinalibus Pontifex Maximus, Sixtus IV. appellatus. Duodecimus tandem Felix Perettus à Monte alto Picenus, quem B. Pius V. anno 1570. Cardinalibus adnumerauit, in ſumma Petri Cathedra glorioſiſſimè ſeſſurum, futurumque Sixtum æterni nominis, ac meriti quintum.

7 Horum igitur licet nouerim alios vel in ſui tituli, vel in ſuis Cathedralibus, vel in Romanis Patriarchalibus Eccleſijs tumulatos, vt patet de ſecundo, ac duodecimo hic enumeratis, & in Baſilica Liberiana, ſeu Sanctæ Mariæ Maioris, ac vndecimo in Baſilica Vaticana ſepultis, conſtat tamen ſextum, ac nonum,

nempè Gullielmum Farinerium, ac Leonardum de Rubeis Giffonenſem in Auenionenſi Conuentualium Eccleſia iacere. Quibus tamen ommiſſis, lubet de ijs ſolum Ex-Generalibus habere ſermonem, qui in Ordine conſenuerunt, nec vocati ad exteras dignitates inter ſuos defuncti, apud eoſdem tumulum ſunt ſortiti.

8 Et quidem Haymo Cantianus de Feruesſhan Anglus, quintus Ordinis Generalis electus anno 1 2 3 9. iacet apud Conuentuales Anagniæ in Latio. Bonagratia de S.Ioanne in Perſiceto, & Diœceſi Bononienſi, in Eccleſia Conuentualium Auenionenſi eſt ſepultus. Henrici Alferij Aſtenſis itidem Generalis, quieſcunt cineres in primo ſuo tumulo apud Conuentuales Rauennæ ab anno 1405. quo ibi migrauit. Angeli Salueti Generalis cadauer Senis apud Conuentuales humatum iacet in patria. Florentia in magnifico Sanctæ Crucis Templo apud Conuentuales, trium Generalium, nempe Gullielmi de Caſali, Antonij de Ruſconibus Nouocomenſis, Franciſci Nanij Sampſoniſue tumulos habet, ſicut & in Eccleſia Caſtri-noui in Tertonenſi Diœceſi tu-

mulatur. Martinus Sangeorgius Riparolenſis, in Piſtorienſi Petrus de Caſſana, & in Cortonenſi Fr Helias, vt cæteros ommittam, vel quia recentiores, vel quia in Eccleſijs, quæ licet tempore funerum eſſent Conuentualiũ, modoque ſunt aliorum, vel non exiſtunt, bellorum, vel Hæreticorum furoribus ſtratæ.

9 Subillata tantummodo conſideratione hoc deducam, quod cum Regulares, multoque magis Superiores, apud ſuos Subditos, ac in Eccleſijs ſui Ordinis ſepelliantur; prꝗfati vero antiqui Generales reperiantur ſepulti apud Conuentuales, certè hi Franciſcani ſunt, veniuntque cenſendi veri filij, & ſubditi eorum, quos apud ſe habent tumulatos, quibuſque ſuberant, cum abierunt e viuis, & ijſdem antiquioribus, illiſque primi ſæculi Generalibus coexiſtebant in Religionis primordio tanquã antiqua, ac vera Ordinis radix non propago.

10 Sed & idem ex antiquiorum Conuentuum poſſeſſu concluditur; nam hos, Conuentuales vel adhuc poſſident, vel Obſeruantinis ceſſere: Primus enim Conuentus, ſeu locus, quem cum primis Minoribus incoluit S. P. Franciſcus, fuit ad Riuum tortum in agro ſuburbano

Assisij, quem locum, & semper possedere, & nunc possident Conuentuales. Secundus fuit vel Portiunculæ in eodem suburbio, vel Carminiani iuxta P. Mag. Franciscum Pisciottam à Coriliano *to. 1. historiæ suæ manuscr. 55. apud me existentis;* & Carminianensem retinent Conuentuales, alium verò Portiunculæ ipsi spontè dederant Obseruantinis ann. 1415 teste ipso Vvadingo Scriptore Obseruantino ad annum prædictum. Quos Diui Patris Socij fundarunt, Bononiæ, Venetijs, Mediolani, Mutinæ per B. Quintauallium, reliquique adhuc sunt Conuentualium, vel si aliquibus abscesserint, constat de tempore, quo succedentibus Obseruantinis circa tertium sæculum Religionis, ipsos iam à nobis extructos, & inhabitatos reliquimus, nec vllum nos Conuentum antiquum ab ipsis accepimus, sicuti à nobis multos ipsi receptos possident; ideòque & ex antiquitate domorum, inhabitantium fundatorum dignoscitur antiquioritas.

11 Produci etiam debent, atque considerari antiqua Ordinis Minorum decoramenta, ac inspici, apud quos reperiantur, vt optimè aduertit

aduertit in præcitato *Speculo P. Mag. Gabriel Faber Parisiensis*. Hæc decoramenta Ordinis, quasi gentilitia insignia, ac stemmata familiæ Franciscanæ, ipsius antiquitatem, ac identitatem ostentant, cum numquam fuerint immutata, vel translata, vt patet, cùm sit res facti. Magistri in Theologia, antiqui sunt in Ordine, vt patet de S. Bonauentura, alijsque antiquissimis Generalibus, & Doctoribus Classicis nostri Ordinis, & tamen titulus Magisterij est in Conuentualibus, non in Obseruantinis, & à Generali Conuentualium, non ab Obseruantino laureantur Magistri. Sed hoc ommisso, inspiciamus Inquisitores. Duo certè soli Ordines, nempè sanctissima Religio Prædicatorum, & Ordo Minorum à Summis Pontificibus iam per sęcula decorantur officijs Generalium Inquisitorum contra hæreticam prauitatem, Minoresque aliquibus sęculis ante annum 1517. Sanctæ Sedi inseruiebant in ministeriatu Inquisitorum, vt patet per *Constit*. 16. *Innocentij IV*. *Quia tunc potissimè &c. Dat. Laterani xv. Kal. Aprilis, Pontificatus anno vndecimo: Bullarij to*. 1. qui fuit annus Christi 1254. ante quem annum con-

ſtituerat Minores Inquiſitores in Vrbe, Patrimonio, Apulia, Lombardia, Romaniola, Marchia Teruiſina, Sclauonia, & Thuſcia; & poſtea fuere Inquiſitores in partibus Tholoſanis, alijſque locis; & de facto ijdem Minores nunc à Sancta Sede habent Inquiſitoratus, Florentinum, Piſanum, Senenſem, Patauinum, Teruiſinum, Iſtrianum, Foroiulienſem, Cenetenſem, Bellunenſem, Adrienſem, & hi ſunt in Conuentualibus, in quibus erant ante annum 1517. & Conuentus ſunt domus eiuſdem Religionis Minorum, cuius erant ante illum annum, nequitque ex hoc antiquo poſſeſſu nobilis miniſteriatus, quo decoratur Religio in obſequijs Sanctæ Fidei, Sanctæque Sedis per numquam interruptam continuationem, non concludi ab antiqua poſſeſſione antiquitas poſſidentis, & ab antiquioritate Officiorum antiquioritas Officialium; vnde cum iſtę Inquiſitiones fuerint Minorum antiquorum, nuncq; ſint in Conuentualibus, & numquam fuerint in Obſeruantinis, hoc erit manifeſtum argumentum, quod Conuentuales ſint antiqui Minores, ideòque antiquiores Obſeruantinis.

12 Etiam ſuperioritas, & ſubiectio in ſimili

materia Regularium sufficienter probant antiquioritatem, cum certum sit, quod, quę nunc Religiones reformatæ sunt in statu Religionis formatæ, ab initio sui erant pauculorum recollectiones, & recessus, deinde cum incępissent sobolescere, factæ sunt Congregationes cum electione aliquorum Superiorum, licèt non omnium; ac tandem auctæ, ac fęliciter propagatæ, aliquę ipsarum euasere Religiones, vt dignè, ac merito euenit sancto Obseruantinorum Ordini, qui verè filius, accrescens, factus est in gentem magnam, doctam, & sanctam. Ab initio tamen non habebant Superiores proprios, & à 1358. vsque ad 1414. vixerunt sub Superioribus communitatis Ordinis: anno 1414. obtinuerunt à Concil. Constantien. posse eligere sibi Vicarios, subordinatos tamen Ministris Communitatis Ordinis, à quibus, & confirmationem peterent, ac acciperent, & sine præiudicio iurium Ministrorũ Communitatis Ordinis, qui adhuc poterant visitare, & visitabant Obseruantinos hosce Vltramontanos, licèt habentes Vicarios, Citramontanis autem, hortante Eugenio IV. Antonius de Rusconibus Minister Generalis

Vicarium Generalem concessit, vt ex ipsius Eugenij duobus Breuibus, quorum primum incip. *Fratrum Ordinis Minorum &c. Dat. Senis Kal. Augusti* 1443. inseritque litteras patentes Generalis, quas confirmat pro Fratre Ioanne de Mauberto: & secundum incip. *Vt Sacra &c. Dat. Romæ apud S. Petrum* 1446. 10. *Kal. Augusti*, suntque ambo *in firmam. cit. par. 2. tract. 1. fol.* 33. & 40. At anno 1517. per Leonem X. fuere omnino subtracti obedientiæ Ministri Communitatis Ordinis, & non amplius Vicarium, sed Ministrum, omnino independenter obtinuerunt, diuisique ab Ordinis Communitate Religionem constituerunt. Sed tamen cum ab anno 1358. quo per Fratrem Paulum de Trincis incæperunt, vsque ad annum 1517. intercessissent anni 159. quibus ipsi obediuerant Ministris Communitatis Ordinis, ab hac superioritate Ministrorum, vtique colligetur, quod recentiores sub antiquioribus steterint, & iuxta stylum Romanorum Pontificum, Ecclesiæ, consuetudinis, ac facti, quibus docemur exorientes Reformatos in principio regi à Religione matrice, ab hoc regimine apertè patebit anti-

quioritas Ordinis gubernantis reſpectu gubernati. Huius autem rei veſtigia poſſet quis inueſtigare in proceſsionibus Caſtillionis Florentini, in quibus PP. de Obſeruantia ſub cruce Conuentualium incedunt ſubſequentibus Conuentualibus, quod & alicubi in Regno Neapolis, & aliquando Bictonij in Vmbria obſeruatur.

Quæ dicta ſunt ſectionibus ſecunda, tertia, & quarta, ad hoc idem tendunt, quia cum ſpectent ad factum elucidandum, indicentq; emanationem PP. Obſeruantinorum à Conuentualibus, tamquam à fonte, & à matrice Franciſcana, cum omnis cauſa ſit prior ſuo cauſato, antiquioritatem Conuentualium per phyſicam rationem productionis, ſeu emanationis euincunt.



SECTIO SEXTA.

Quod antiqui Minores non desierint, & quod Conuentuales hodierni vocantur antonomasticè Minores.

SVMMARIVM.

1 *Antiqui Minores non desierunt anno* 1517. *resoluti in Conuentuales, & Obseruantinos:*
2 *Ex hoc tamen probaretur contemporaneitas, non antiquioritas.*
3 *Re tamen vera Conuentuales sunt illi, qui appellantur antonomasticè Minores.*
4 *Ita in Bullis Pontificum vocantur, & primo à Iulio II.*
5 *Et à Sixto IV.*
6 *Iterum à Iulio II.*
7 *Denuò à Sixto IV.*
8 *Paulo II.*
9 *Calisto III.*
10 *Gregorio IX.*
11 *Clemente IV.*

12 *Vnde liquet Conuentuales institutos ante annum 1227.*

13 *Idem Ordo, qui in Basilica Assisiensi fuit anno 1230. ibidem nunc perseuerat.*

14 *Ità & post Leonem X. Pius IV.*

15 *Qui & Ministrum appellat Generalem Conuentualium.*

16 *Et P. Octauius Caietanus Iesuita eadem vtitur antonomasia.*

17 *Cum appellatione, quæ ab immemorabili in Europa viget.*

1 IN hoc quidem conueniunt PP. Obseruantini, quod ante ipsos fuerit Religio Minorum, sed deformata, inquiunt, ac per ipsos reformata; aliquis tamen visus est commentum quoddam meditari, seu effugium ad antiquioritatem Conuentualium eludendam, dicendo, quod vsque ad annum 1517. extitit Ordo Minorum, illique Fratres appellabantur absolutè Minores, absque vllo adiecto Conuentualium, vel Obseruantium, sed anno 1517 cessauere hi Minores, abeuntes vel in Conuentuales, vel in Obseruantinos, in quos fuit facta resolutio totius Minoritici Ordinis anti-

qui, naſcentibus ex illa diuiſione Conuentualibus; ex quo, mero caſu euenerit, quod in diuiſione, in Conuentu v.g. Aſſiſij, Paduę &c. reperirentur Fratres, qui vellent Conuentualitati potius, quam Reformationi adhęrere, vnde antiquioritas, quæ ſtat pro Minoribus antiquis, non ſtat pro Conuentualibus, qui non ſunt antiqui.

2 Sed hæc tentata euaſio nimis olet ſophiſma, & nihil è dictis reprobat, quia nimis probat; ſi enim à deſitione imaginaria Minorum incæpiſſemus ambo, ex hoc non probaretur prætenſa antiquioritas Obſeruantina, ſed ſimultas temporaria diuidentium, & incipientium, & Ledæ ouum, diuiſio, geminis, vnico partu dediſſet contemporaneitatem, neutri anterioritatem. Deinde, quomodo poſſumus ambo tunc incæpiſſe, ſi & Scriptores Obſeruantini dati ſectione tertia, & Summi Pontifices adducti ſectione quarta, ambos ante annum 1517. extitiſſe conteſtantur? Si autem filia diuiſionis ſit Religio Conuentualis, cur non ſaltem dicitur nata anno 1414. quando per Decretum Concil. Conſtantien. ceptum eſt audiri in Ordine Minorum, quod alij eſſent

Fratres,

Fratres, qui appellarentur *de Communitate Ordinis*, alij, qui dicerentur *de Obseruantia*, vtraque specie existente sub proprijs Superioribus, & per talia prædicta nomina à Concil. Constantien. distincta? Et dato hoc numquam concedendo, quod Conuentus Assisiensis, Patauinus &c. casu obuenissent Conuentualibus, quibus tunc fortuitò fuissent oppleti) quid diceretur de Inquisitoratibus, qui non sequuntur Conuentum, sed Religionem? Sancta Sedes assueta vti Minoribus, benè nouerat, an desijsset Ordo Minorum, quo vti consueuerat, & tamen numquam reperitur mentio Inquisitionis translatæ ab Ordine Minorum ad Ordinem Conuentualium.

3 Quibus leuiter prætactis, & etiam non consideratis, adhuc stat hæc veritas, quod Ordo Minorum numquam desijt, sed & post emanationem Ordinis Obseruantini ab antiquo Ordine Minorum, hic antiquus Ordo permansit, permanetque; quod nisi faterentur Scriptores Obseruantini iam citati, per solidiora fundamenta Bullarum Pontificiarum, quæ profero, firmaretur. Quod enim hodierni Conuentuales sint ipsimet illi antiqui Mi-

nores, *& quod idem sit dicere Fratres Conuentuales, ac dicere Fratres Minores, sumendo illud nomen Minorum antonomasticè pro principali denominato, ea principalitate, quæ ab antiquioritate proueniat*, & absolutè sine vlla relatione ad distinctiuum superadditum, ipse certè probauero, si demonstrauero ex Bullis Pontificijs, quod, & diuisa, & indiuisa Obseruantia à Conuentualibus, isti à Pontificibus appellentur absolutè *Fratres Minores*.

4 Ad quod afferam primo Bullam Iulij II. *Visis, & diligenter &c. Dat. Romæ 25. Iunij* 1508. quę habetur *in Monum. Ord. Minorum fol. mihi* 216. & est confirmatio Concordiæ Vallisoletanæ, vbi de Tertio Ordine dicitur, *Tertiarij portent vbique habitum talem, quo distinguantur à Fratribus primi Ordinis S. Francisci*; qui primus Ordo, nempe Minorum, alius esse non potest, quàm Ordo Conuentualium, cuius habitui similis est habitus PP. Tertij Ordinis in materia, & forma, habitui enim Obseruantinorum, neque in materia, neque in humerali, vel pectorali potest assimilari, & consequenter in hac Bulla Conuentuales appellantur primus Ordo Minorum, licèt supra.

ſæculum extarent Obſeruantini.

5 Ita Sixtus IV. quo nemo Pontificum res Minoriticas melius percalluit, teſte ipſo Iulio II. iam noſtro Protectore, qui in ſua *Exponi Nobis &c. Romæ apud S. Petrum 7. Ian.* 1509. infra citanda, de Sixto, ac per ipſum ſtatutis circa Minores, dicit, *facta fuerunt, & per præfatum Sixtum rerum huiuſmodi expertiſſimum;* hic igitur Sixtus IV. in ſua *Regimini vniuerſalis &c. Dat. Romæ anno* 1474. *pridie Kalen. Septembris, Pontificatus anno quarto;* & eſt Conſtit. 6. ipſius in Bullario magno to. 1. de ſe ipſo ait in §. 3. *Nos igitur, qui dicti Ordinis Fratrum Minorum, in quo Generalis Miniſtri fungebamur officio, dum ad Cardinalatus honorem aſſumpti fuimus;* quod & ſępè in alijs ſuis Conſtitut. dignantiſſimè repetit. Ait igitur Pontifex ſe fuiſſe Generalem Miniſtrum Ordinis Minorum (fuit enim electus Peruſij anno 1464. rexitque annos circiter quinque, poſt quos ad Cardinalatum promotus, ſucceſſorem habuit in Generalatu Zanettum Vtinenſem) Miniſter verò Generalis non appellabatur tunc Superior ſupremus Obſeruantię, qui dicebatur Vicarius, quapropter Sixtus fuit

è Conuentualibus, quia hi soli tunc poterant esse Ministri, & tamen Conuentuales hic appellat absolutè, & antonomasticè Minores.

6 Ad rei maiorem euidentiam noto verba Iulij II. in præcitata sua Constitutione *Exponi Nobis &c. Dat.* 1509. ait autem, *præfatum Sixtum IV. qui non solum dum ad Cardinalatus honorem assumptus fuit, vestri prædicti Ordinis Generalis Ministri fungebatur officio, sed etiam ab ineunte eius ætate in prædicto Ordine fuit nutritus*. Quinam autem sit hic Ordo, in quo Sixtus IV. à pueritia fuerit educatus, dicet Vvadingus Obseruantinus sub anno 1439. num. 59. vbi narrat Sixtum fuisse Magistrum Studij Bononiæ, & Baccalaureum Conuentus Papiç, quę quidem officia, & nomina graduum nec sunt, nec vnquam fuerunt in Religione Obseruantina, sed sunt actualiter, & præfuerunt inter Fratres Communitatis Ordinis, seu Conuentuales. Ita de Magisterio dicendum, quod in Communitate Ordinis à temporibus S. Bonauenturæ fuit receptum, hodieque perseuerat inter Conuentuales, & numquam fuit inter Obseruantinos, & tamen Contelor. Elencho Cardinal. par. 2. creat. 1. singulos Car-

dinales primæ promotionis factæ à Paulo II. enumerans ſeptimum, ſic ponit, *Frater Franciſcus de Ruuere de Saona Magiſter in ſacra pagina, & Generalis Ordinis Minorum Preſbyter Tit. S. Petri;* quibus poſſent addi cæteri gradus Sixti in Religione, vt Guardianatus Conuentus Sanctorum Duodecim Apoſtolorum Romę, quodque fuerit Regens Panormi, & Florentiæ, vt habent Ordinis Regiſtra, ac Hiſtoria Sicula Cagliolæ; ſed ex gradibus præfatis, quorum nomina ſunt propria Conuentualium, nec vnquam fuerunt inter Obſeruantes, cognoſcere licet, quod Religio, in qua Sixtus per minores gradus aſcendens, fuit à pueritia educatus, fuitque Generalis, eſt illa Religio, quę à Concil. Conſtantien. appellatur *Communitas Ordinis;* & à Sixto in hac Bulla *Regiminis vniuerſalis &c.* appellatur Ordo Minorum *antonomaſticè*, licèt à iam pluſquam *centum* annis emerſiſſet Ordo Obſeruantinus, quando emanauit hęc Bulla.

7 Hinc idem Sixtus IV. in alia incip. *Ex debito Paſtoralis &c. Dat. Romæ* 1475. XVIII. *Kalen. Ianuarij*, cuius authenticum tranſumptum ſeruatur in Archiuio Conuentus San- 8

ctorum Duodecim Apostolorum de Vrbe, concedens facultatem vendendi prędium Ciconiolę pro reparanda Ecclesia SS. Apostolorum, recenter nobis concessa, *quæ in suis ædificijs nimium erat collapsa, & ruinosa, tot Ordinis Fratrum Minorum professores &c.* & paulo post subdit, *in litteris, & mandatis, vt tot ex dicti Ordinis Fratrum Minorum professoribus, quorum vnus esset Guardianus &c.* & Conuentuales ad SS. Apostolos existentes semper appellat absolutè, *& antonomasticè* Minores; certum est autem, quod Romanus SS. Apostolorum Conuentus nunquam fuit Obseruantinorum, sed à magni Bessarionis Cardinalis pientissima benignitate fuit datus Conuentualibus; & tamen hi Conuentuales (quos hìc ex hoc titulo Iubet vulgo Romano appellare Fratres SS. Apostolorum) Sixtus appellat absolutè Minores; quare Fratres Minores (*de Communitate Ordinis* appellati à Concil. Constantien. quod idem est, ac dicere *de antiquitate Ordinis*) sunt Fratres SS. Apostolorum Vrbis Romanę, scilicet Conuentuales.

8 Et ad hoc collimasse videtur Paulus II. qui confirmans concessionem prefatę Ecclesię fa-

ctam huic Ordini per laudandissimum Bessarionem, in sua incip. *In eminenti &c. Dat. Romæ 1467. xvj. Kalen. Octobris, Pontific. anno quarto*, quę habetur originalis in plumbo in Archiuio Conuentus SS. Apostolorum, ait, *Vt in ipsa Basilica in Diuinis congruè seruiatur, illã de sæculari Ecclesia ad Ordinem Fratrum Minorum reduci &c. vt ipsam Basilicam professoribus dicti Ordinis Fratrum Minorum concederet*; vnde si quis dubitet, vel quęrat, quinam sint illi, qui appellantur *Fratres Minores*, videat, quinam seruiant Basilicę SS. Apostolorum, quę numquam fuit Obseruantinorum; si verò ibi reperiat Conuentuales, de his sciat locutum Paulum II. *cum antonomasticè Minores dixit sine appendice.*

9 Calistus III. *Regimini vniuersalis Ecclesiæ &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno 1455. 11. Kalen. Septembris, Pontificatus anno primo*, & habetur *in firmam. par. 2. tract. 2. pagina 51. Attentè considerans, quod ex captionibus domorum, locorum, & Conuentuum Fratrum Ordinis Minorum huiusmodi, ac Monasteriorum Monialium S. Claræ sub eorumdem Fratrum cura, & administratione degentium, quæ per*

nonnullos alios Fratres dicti Ordinis de Obseruantia crebro fiebant. Hic Pontifex distinguit Franciscanos in duas species, primamque appellat *Fratrum Ordinis Minorum huiusmodi*; alteram verò sic specificat, *per nonnullos alios Fratres dicti Ordinis de Obseruantia*. Illi Fratres, qui non sunt de Obseruantia, *& sunt primæ speciei, appellantur antonomasticè Minores*; nec est, cur respondeatur ante Leonem X. tali nomine appellatum semper fuisse hunc Ordinem, quo continebantur & Conuentuales, & Obseruantini, quia Calistus non confundit, sed distinguit, aliquos vocatos de Obseruantia ab illis, quos appellat *antonomasticè* Fratres Ordinis Minorum, & vbi Pontifex distinguit, nos confundere non debemus. Et certè Ordo, à quo auferebantur Moniales, & Conuentus Fratrum in Gallia, & Hispania, erat Ordo Conuentualium, qui adhuc est sine illis Conuentibus tunc ablatis, & consequenter hic Ordo Conuentualium *antonomasticè* appellatur Ordo Minorum à Calisto.

10 Addo Bullam Concistorialem Gregorij IX. cui subscribunt ipse, & Cardinales, extatque originalis Assisij in Archiuio Sacri Conuentus apud nos

apud nos Conuentuales; hæc Bulla, cuius initium, *Is, qui Ecclesiam &c. Dat. Laterani per manum Martini S.R. E. Vice-Cancellarij* 10. *Kal. Maij* 1230. sic inscribitur, *Dilectis filijs, Ministro Ordinis Fratrum Minorum, eiusque Fratribus commorantibus apud Ecclesiam B. Francisci in loco, qui dicitur Collis Paradisi, tàm præsentibus, quàm futuris in perpetuum;* & hanc Basilicam, quæ tunc extruebatur, vt in ipsam trāsferreretur Corpus S. Patris, sibi reseruans, ac subijciens priuatiuè quoad omnes alios, ait, *Ecclesiam ipsam sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus, vt Ecclesia ipsa nulli, nisi Romano Pontifici sit subiecta, & vestri Ordinis, cuius Institutor, & Pater extitit Confessor prædictus, caput habeatur, & mater, ac in ea per Fratres eiusdem Ordinis perpetuò ser-*
11 *uiatur*. Eadem verba sillabatim repetit Clemens IV. in sua Constit. *Is, qui Ecclesiam &c.* quę item habetur originalis in plumbo Assisij, *data Perusij per manus Mag. Michaelis S. R. E. Vice-Cancellarij* 17. *Kal. Maij* 1266. estque & ipsa Bulla Concistorialis. Hinc autem habemus primo illa verba, *Vestri Ordi-*
12 *nis, cuius Institutor, & Pater extitit Confessor*

prædictus; qui Confessor, nempè S. Franciscus certè non viuebat anno 1517. quando dicuntur instituti Conuentuales, sed decesserat anno 1227. & consequenter non instituebat sub Leone X. sed iam instituerat sub Innocentio III. aliàs Gregorius IX. non fuisset locutus historicè, sed prophetice, & Ecclesiam sibi præsentem, futuris post circa tria sæcula Religiosis assignasset. Ait autem secundo idem Pontifex, quod illa Basilica *est Caput, & Mater Ordinis*, quod & repetit Nicolaus IV. *Præclara &c. Dat. Reate 2. Idus Maij, Pontificatus anno primo*, qui fuit 1288. & habetur originalis Assisij in plumbo; & Bonifacius IX. *Præ fulgore &c. Dat. Romæ apud S. Petrum tertio nonas Octobris, Pontificatus anno quarto*; quæ cum tribus prædictis habetur originalis in Archiuio nostri Sacri Conuentus Assisiensis, quod hæc Basilica *est totius Ordinis Minorum lapis fundamentalis*; vnde cum caput, matrix, & fundamentum Ordinis Minoritici ab anno 1230. vsque ad annum currentem 1682. extiterit, & existat apud Conuentuales, non apparet, quomodo ipsi possint dici incæpisse anno 1517. antea verò habuis-

ſe, & non fuiſſe. Addit tertio Gregorius IX.
13 hæc alia verba, *ac in ea per Fratres eiuſdem Ordinis perpetuò ſeruiatur*; cum igitur Minores ad quos tunc erat ſermo, numquam loco ceſſerint, nec ipſis in illa Baſilica alius Ordo vmquam ſit ſuffectus, ij, qui modo extant, ſunt idem Ordo, qui tunc; nec poſſunt deſiiſſe Minores abeuntes in Conuentuales, vel Obſeruantinos, illorum identitate per Bullam, & poſſeſſum continuatum, numquamue interrumptum ſatis probata, ex qua conſtat Conuentuales eſſe illos Minores abſolutè appellatos in Bulla Gregorij, & non à caſu intruſiuo Conuentualium in Sacrum Conuentum Aſſiſienſem, ſed à conceſſione Gregorij poſitos fuiſſe Minores abſolutè dictos, nunc Aſſiſij commorantes cum Corpore Seraphici Patris, qui certè ſunt Conuentuales.

14 Quod ſi Parti videantur hæc concedenda, vtpotè quæ euenerunt ante Leonem X. contendatque non ſic locutos eſſe Pontifices, vel Scriptores poſt Leonem X. adducatur *Conſtit.* 103. *Pij IV. ex Bullarij magni to. 2. incip. Sedis Apoſtolicæ &c. Dat. Romæ* 17. *Septemb.* 1565. qua confirmat quædam ſtatuta Capituli Ge-

neralis Conuentualium, aitque, *Considerantes, quam vberes fructus in Dei Ecclesia Sacer Fratrum Minorum Ordo ab eius institutione produxerit*; & infra, *Dilectum filium Antonium de Sapientibus de Augusta eiusdem Ordinis Generalem, & Ministros, sicque per eosdem Superiores, & quoscumque eiusdem Ordinis Ministros, nunc, & pro semper existentes obseruari, & iudicari debere*; cum verò hæc Constitutio sit mera confirmatio Decretorum Capituli Generalis Florentini (cui & interfuit Sixtus V. tunc Frater Felix Perettus Procurator Ordinis) & hoc fuerit Capitulum Conuentualium, & statuta illa ligent solos Conuentuales, & sermo sit in Bulla solum cum Conuentualibus, nec vnquam in ea sit mentio Obseruantium, qui tamen appellentur absolutè, & *antonomasticè* Ordo Minorum, sine adiecto nominis Conuentualium, licèt hæc emanarit quinquaginta circiter annis post Bullas Leonis X. & consequenter post separationem Obseruantinorum à Communitate Ordinis, consequenter patet, quod, & post Leonem X. *qui dicit sic absolutè Minores, dicit solum Conuentuales.*

15 Hic autem parergon attexo pro dicentibus, Conuentuales reassumpsisse titulum Ministri temporibus Sixti V. confidentes fauori Pontificis, assumpti ex Ordine Conuentualium; Pontifex enim Pius, qui viginti circiter annis præcessit Pontificatui Sixti, Superiores Conuentuales appellat Ministros, vt ex fragmento Constitutionis dato, non obstante Leonina, quæ numquam fuit posita in vsu.

16 Attexere libet è Scriptoribus P. Octauium Caietanum Syracusanum è Societate Iesu in Idea operis de vitis Sanctorum Siculorum in indice per Religiosas familias &c. quod & repetit in alphabetico; illic autem pag. mihi 67. singulis Ordinibus Ecclesiæ Dei assignans Sanctos, ita scribit, *Fratrum Minorum Presbyteri, Gandulphus in Politio, Riccardus in Calatagirone, Gerardus Panormi*, alijsque è nostris recitatis, subdit, *Minorum Obseruantium Presbyteri, Antoninus in Calatagirone, Cherubinus Tauromenij, Ioannes Agrigenti*, & paulo post subsequendo, ait, *ex Ordine Capuccinorum Alphius &c.* nosque Conuentuales, qui verè habemus corpora pręfatorum BB. Gandulphi, Riccardi, Gerardi &c. appellat absolutè Mi-

nores, alijs Franciſcanis addendo diſtinctiuum. Et nimis longum eſſet, ſi quas poſſemus ſcribentium Auctorum myriades, atque chylliades, produceremus.

17 Claudetur itaque ſectio recolendo, quod Fratres illi, qui inſtituti, admiſſique ad habitum à S. P. Franciſco, ipſi conuixerunt in Religionis exordio, appellati ſunt Minores, hocque nomine ſine adiecto, abſolutè, & antonomaſticè ſumpto, multoties appellantur hodierni Conuentuales à Summis Pontificibus, tùm ante, tùm poſt diuiſionem Obſeruantinorum ab ipſis, vt è Bullis Sixti IV. & Pij IV. quibus addenda vox populi ex immemorabili, eaque communi traditione, & conſuetudine obſequente legi; nam Fratres, quos Conuentuales nunc diximus, vulgatiſsimè in Regionibus Septentrionalibus, Germania, Polonia, Ruſsia, Hungaria, Bohémia, Morauia, Sileſia, Bauaria, Gallo-Belgio appellantur antonomaſticè Minores, noſque non aliter ſignamus in miſsiuis epiſtolis miſsiones, quam ſic, *Coloniam ad Minores, Cracouiam ad Minores &c.* ipſæque recta deferuntur ad Conuentuales. In Gallijs nos appellamur modo

Freres Mineurs, modo *Freres Cordeliers*, vti ab initio Religionis vocabamur. In Italia paucissimis locis exceptis, nuncupamur *Li Frati di S. Francesco*: hæc sunt nomina Conuentualium: Patres verò Obseruantini in Septentrionalibus, Germania, Polonia, Hungaria &c. à Sancto huius nominis, insigni ipsorum propagatore *Patres Bernardini*. In Gallia appellantur *Freres Obseruantins*, vel *Recolets*. In Italia communissimè per lignipedium à socculo sumunt denominationem. Quę velim dicta, non vt ipsos excludam ab Ordine Minoritico, cum fatear ipsos esse Reformatos Ordinis Minorum, ac verè inter Minores connumerari, sed ne ex ipsorum inclusione prætendatur exclusio Conuentualium *ex principali analogato* includendorum.



SECTIO SEPTIMA.

Astruitur antiquitas nominis Conuentualium.

SVMMARIVM.

1 *Nomen Conuentus in quo sensu antiquum:*
2 *Vsitatum sub Monarchia Romana:*
3 *Adhuc antiquius, primisque Grecorum temporibus frequentatum;*
4 *Vnde in ius canonicum transisse creditur,*
5 *Domibusque Regularium adhæsisse:*
6 *Quomodo inter Minores introductum per Innocentium IV.*
7 *Testibus iisdem Obseruantinis Roderico, & Miranda:*
8 *Nomen tamen fuit concessum ad petitionem Fratrum, ideòque adhæsit,*
9 *Vnde vigebat circa annum 1320. sub Ioanne XXII.*
10 *Et anno 1354. in Constitutionibus Farinerijs, & antiquius, ex num. 18. & anno 1292. ex publicis tabulis Cortonensibus,*
11 *Si Ecclesias affecisset hoc nomen, ab Ecclesijs Religio denominari potuisset,*

Cum

12 *Cum Religiones ab aliqua sui singularitate denominatas habeamus, vt Roccbettinos, Capuccinos &c.*

13 *Imò & ab Ecclesijs sæpè nomen sortiantur Religiosi,*

14 *Hoc tamen Minoribus ratione vitæ collegialis debitum.*

15 *Nomen etiam Conuentualium afficiebat personas ex textu Constitut.*

16 *Et alio Constitut. Farineriæ,*

17 *Quibus personalis denominatio concluditur:*

18 *Imò talem appellationem personalem viguisse temporibus S. Bonauenturæ anno 1260.*

19 *Ab ipso enim in Capitulo Narbonensi prodiêrunt Farineriæ,*

20 *Ideòque antiquitus inualuerat hoc nomen;*

21 *Nec soli aliqui Fratres sic denominabantur, potius quam Religio,*

22 *Quia nomen Religionis, & Religiosorũ est idẽ.*

23. *Et ea erat pars numerosior, ac potior Ordinis Minorum:*

24 *Imò & Heremitæ non carebant hoc nomine ab ea ratione.*

25 *Minima pars Ordinis Ordini nomen non imponit.*

1 HVcusque per negatiua processimus, refellendo praetensam huius nominis recentioritatem; nunc verò positiuè incedemus, inuestigando originem huius nominis Conuentualis, quod à Conuentu ortum sumpsisse, idest à conueniendo, non dubitatur; sed tamen debet assignari, vel quando, vel à quo, vel vnde primo prodierit, nobisue adhaeserit.

2 Nomen verò Conuentus (non quidem Religionum) tantae antiquitatis est, quantae Grãmaticis hoc verbum conuenire, prout significat congregationem, coitionem, & simultaneum aduentum plurium ad vnum locum, vel ad deliberandum de Rèpublica, vel ad iudicialia, vel ad mercimonialia. In primo sensu fiebant Conuentus, Romana Republica dominante, in viridi, vegetoque legum statu, nam *Gallia Quieta, Gallia in Italiam ad Conuentus peragendos proficiscitur*, ait *Iul. Caes. de bello Gallic. lib. 5.* In secundo sensu fiebant Conuentus in Praefecturis Italiae, ac potissimum ad Metropoles, in quibus Rectores cum Equitum Romanorum consilio ius dicebant *ex Festo lib.* 3. In tertio autem sensu nundinae erant Romanis, & statae aliquae nouendiales,

quo mercaturi,& leges accepturi acce debant Oppidani, *Colum. lib.* 1.1. *cap.* 1. *op. Pandulph. Pratei: lex. iur. v. Conuentus*; vltimas verò reor fortè denominatas à nundino,trinundinis &c. pro ordinatione Consulum designandorum, de quibus eruditissimus P. Mag. Pagins noster Conuentualis *disert. Hypat. de Coss. cap.* 1. *nu.* 2. hoc anno summa litteratorum voluptate publici iuris facta.

3 Celebrari autem Conuentus antiquissimo tempore cęptum patet ex Amphyctionijs ita denominatis ab Amphyctione Deucalionis filio, qui ad Thermopylas, & Delphos, Summates Ionas, Dolopas, Thessalos, Aemianos, Magnetas, Maleenses, Phrhiotas; Dorienses, Phocenses, & Locros ad hos conuocabat, vt tradit *Pausan. lib.* 7. *Achaicorum*, *&* *lib.* 10. *Phocicorum*.

4 Hunc verò modum dicendi videtur secutum ius Canonicum Decretal. *tit.* 3. *de rescript. cap. Edoceri &c.* vbi Monachos ad deliberandum conuenientes appellat *Conuentum Monachorum*, scilicet Collegium consultiuum Monachorum, & hunc Canonem Innocentius III. in tali sensu traditum comprobat

Clem. de rebus Ecclesiæ non alien. 6. cap. Monasteriorum, statuendo, *ne Monachus bona Monasterij alienet, nisi vtilitas Monasterij . . . hoc exposcat, Conuentus sui, aut si Conuentum non habeat, Prælati proprij assensu ad hoc nihilominus accedente*, vbi apposito nomine Monasterij, quo denominantur domus Monachorum, constat Conuentum non sumi pro nomine domorum Monachalium, eò vel maxime, quod dicit, *si Conuentum non habeat*, cum non possit carere domo Monachus, cui inhibetur alienare bona domus; vnde non habere Conuentum, & esse solum, & sine alijs Monachis in Monasterio, nec habere Monachos, qui conueniant congregati ad consulendum.

5 Cum igitur domus Monachorum, qui soli Regulares præexistebant Mendicantibus, appellarentur Monasteria, postuenientium Mendicantium Ordinum domus nomine carentes, fuere appellatę Conuentus, vt optimè aduertit insignis Canonista, atque Theologus Sacri Palatij Magister Ord. Prædicatorum Siluester v. Conuentus, dicens, *apud Mendicantes, quorũ domus non habent proprium nomen, sicut domus Monachorum Monasteria, Conuentus dicitur.*

propriè locus habitationis eorum, supple, *Fratrum Mendicantium*; & Rodericus Obseruantinus quæst. Regular. quęst. 4. artic. 1. *Domus Fratrum Mendicantium non habebant nomen proprium, sicut domus Monachorum, quæ propriè vocantur Monasteria; & ideò Mendicantium, & aliorum Regularium habitationes cæperunt vocari Conuentus . . . . quapropter voluit Innocentius, vt domus Fratrum Minorum, &c.*

6 Extat igitur Constitutio septima Innocentij IV. *Cum tamquam &c.* quæ primo tomo Bullarij asseritur data Lugduni nonis Aprilis, Pontificatus anno septimo, qui fuisset annus 1250. quia Innocẽtius iste fuerat electus Iunio anni 1243. sed Vvading. tomo 2. anno 1252. num. 23. hanc Bullam dicit se referre ex veteri regesto, facitque datam Perusij 12. Kalen. Septembris, Pontificatus anno decimo, discrepans in die, anno, loco &c. Quo ommisso, reique insistendo. Hæc Constitutio directa ad Minores, habet hæc verba: *Vestris supplicationibus inclinati, decernimus, vt Ecclesiæ vestræ omnes, vbi Conuentus existunt, Conuentuales vocentur*; ex quo habemus duo nomina

noua quoad nos, vnum, quod ab hoc Pontifice imponitur Ecclesijs nostris, ipsas recensendo inter Ecclesias Conuentuales, alterum, quod domibus nostris non dicit se imponere, sed & à iure Canonico, & à Scriptoribus, circa illa tempora natum esse comperimus, vnde ex hoc domus Mendicantium appellentur Con-
7 uentus. Hæc est scaturigo nostræ antiquitatis quoad nomen Conuentualium, quod tunc Minoribus adhæsit ab eo primo Religionis exordio, vt & ex ipsis Obseruantinis Scriptoribus testatur Rodericus quæst. Regular. to. 1. quæst. 4. art. 1. in fine, per hæc verba, *Primitiua Fratrum habitacula, loca tantum appellabantur, & tempore Innocentij IV. nomine Conuentualitatis sunt insignita*; & post duodecim lineas, *Quapropter voluit Innocentius, vt domus Fratrum Minorum appellarentur Conuentus, quia iam claustra, & ædificia magnifica habebant, à quo Conuentuales in nostro Ordine sunt vocati*; & to. 3. q. 30. art. 4. citat idē Rodericus, *Fratres Conuentuales in Ordine Minorum dicuntur communiter Claustrales simul, & Conuentuales . . . . . huius nominis natiuitatem indagantes, inuenimus hoc nomen ad petitionem Fra-*

trum Minorum fuisse ipsis impositum ab Innocentio IV. Papa, vt ex eius Bulla patet, cuius tenor in hunc modum se habet &c. vnde secundum Rodericum nomen Conuentualium habetur ab Innocentio IV. scilicet ab anno 1250 & Miranda itidem Obseruantinus in Manual. Prelat. quest. 12. art. 1. conclus. 3. *Extat priuilegium quoddam Innocentij IV. &c. vbi concedit præfatis Fratribus Claustralibus, tamquam honorificum quoddam, vt ipsorum domus Conuentus nuncupentur &c. quod & tunc temporis pro magno habuerunt honore, tali scilicet Claustralium, siue Conuentualium insigniri nomine;* & Eminentiss. Brancatus de Laurça *epitom. Canon. v. Fratrum Minorum reformatio, & diuisio,* ait, *Qui à Communitate Ordinis se diuidunt, Reformati, seu Obseruantes dicuntur..... alij autem Fratres remanent sub communitate Religionis cum titulo Minorum, seu Conuentualium;* & v. Fratres Minores Conuentuales, *nomen Conuentualium iuxta Constit. Innocentij IV. Cum tamquam.*

8 Legentium verò animaduersionem non demeretur inspectio, quam subnecto, quod scilicet hæc Constitutio 7. Innocentij IV. non

est proprius motus, sed est concessio ad petitionem Fratrum Minorum, vt patet ex verbis Constitutionis, *Hinc est igitur, quod vestris supplicationibus inclinati, præsentium auctoritate decernimus, vt Ecclesiæ &c.* vnde verisimile non est, quod qui Minores hoc nomen petierint, ipso non sint vsi temporibus Innocentij IV. & sequentibus annis, licèt de talis nominis vsu non extaret memoria, quia si non scribuntur omnia quæ fiunt, quis scribet omnia quæ dicuntur? Non enim ex hoc, quod nomen vxoris Cain reticuerint sacra Biblia (vt lepidè Gabriel Faber Parisiensis Procurator Generalis Conuentualium in suo Speculo) dicemus, quod vxor Cain suo nomine proprio caruerit more Atlantidarum Plinij: Idem diceres de nominibus vxorum Sem, Iaphet, Aod, Issachar, aliorumque in sacra Scriptura illustrium propagatorum.

9 Post septuaginta tamen annos incidens in nomen Conuentualium, natum sub Innocentio IV. & repetitum sub Ioanne XXII. asseram & intermedio tempore viguisse. Et quidem Aluarus Pelagius Episcopus Siluensis, è Minoribus assumptus, de planctu Ecclesiæ lib. 1. cap. 36.

cap.36. ait, *Petrum de Corbaria, quem cognoui in virum hypocritam, cum Conuentualis essem ibi Romæ in Aræcœli decimantem mentam & anetum;* quę verba hunc mihi sensum faciunt, *Ego nunc Episcopus Siluensis, tunc eram Religiosus Minor Conuentualis in Conuentu Aræcœli, ibique cognoui Petrum &c.* nam tunc,& vsque ad Eugenium IV. Conuentuales permanebant ad Aramcœli; sicq; secundum meum sensum Aluarus, qui discipulus Scoti, Antagonista Okami, & Ioannis XXII. Pœnitentiarius floruit circa annum 1320. suo tempore confirmat fuisse in vsu hoc nomen Conuentualium, quicumque etiam sit sensus datæ periodi, sufficiatque intento, quod nomen Conuentualis, applicatum Fratri Minori tunc foret in vsu, vel dicat nomen Religionis, vel conuiuentiam in tali Conuentu.

10 Adhuc eiusdem nominis Conuentualium reperiemus vsum continuari annis 34. post Aluarum, nam anno 1354. habito Generali Capitulo Assisij, Generali Gulielmo Farinerio, editisque Constitutionibus, quæ à cognomine Generalis nomen sunt auspicatæ, in ipsis eodem anno Capituli 1354. editis habentur

hæc verba, *In locis Conuentualibus infra septem dies, in non Conuentualibus infra tres ad plus suum officium exequantur Visitatores*, & hunc eumdem textum recipit, ac refert Vvadingus Obseruantinus to.2. anno 1252. nu. 23. vnde in vtroque sensu habetur vsus nominis, personalis scilicet, & localis, cum in textu Aluari afficiat personas, in textu Constitutionis Farineriæ afficiat loca. Sed & personas, ac Religionem afficiens hoc nomen, occurrit penès Tabelliones sęculares à quibus Minores antiquitus vocantur Conuentuales, quod habeo ex rogitu quodam (cuius transumptum à Patre Magistro Ioanne Baptista Philippo de Lutis nostro Conuentuali Senensi Concionatore laudando transmissum conseruo) quo Vguuio Olilandi quond. Pipi Vguuionis Perus Ciuis Cortonen. Notarius, Cortonę anno 1392. indict. 15. die 25. Nou. Bonifacio IX. Pontifice, & Vincislao Bohemorum Rege Imperatore, in publicas tabulas refert concessionem Oratorij Sancti Basilij in fauorem Minorum, qui certè erant antiquus Ordo, nempè Conuentualium, quia teste *Haroldo epit. annal. sub anno* 1399. loquente de

fundatione Conuentus Fesulani, nullus Obseruantiæ locus fundationi Fesulanæ præcesserat in Tuscia, nam *primus hic fuit Conuentus* (nempe Fesulanus) *Obseruantiæ in Tuscia*, constructus scilicet anno 1399. idest septem annis post concessionem secundi Conuentus Cortonensis, de quo nunc est sermo Vguuionis. Redditus igitur præfati Oratorij S. Basilij applicando Monialibus cum conditione alicuius eleęmosynę pro Fratribus, & Instrumentum illud publicum habet hæc verba: *Sorores dicti Monasterij .... prouidere dignentur, & debeant perpetuo de victu, & vestitu in eorum necessitatibus Fratribus Conuentualibus dicti Ordinis in dicta Ecclesia &c.* Agens vero de translatione iurium Communis Ciuitatis Cortonæ, ait, *Tradentes, concedentes, & committentes dicto Ordini Fratrum Minorum Conuentualium, in hac parte totaliter omnes eorum, & dicti Communis, & Populi, & Ciuium Ciuitatis Cortonæ, in prædictis, & quolibet prædictorum vices, & voces &c. supplicantes Venerabili Religioso Fr. Merigo Martini de Massa Ordinis Minorum dignissimo Magistro Prouinciali Ministro dicti Ordinis in hac Prouinca Tu-*

L ij

ctæ, & in dicto consilio personaliter constituto, quatenus ipse, & dictus Ordo dignetur prædicta acceptare. Ex quo manifestissimè apparet, quod & in secundo Religionis sæculo modo Minores, modo Conuentuales, modo Minores Conuentuales appellabamur, & continuabatur vsus nominis ab Innocentiana desumpti sub anno 1250. vel à vita Conuentuali, collegialiter conuiuentium, cœnobitico, non hæremitico more.

11 Si cuipiam autem videatur Constitutio Innocentiana merè Ecclesias afficere, nullo autem modo personas, sicque Conuentualitas cadere omnino extra Fratres. Fortè pro qua maluerit significatione, & ipsi stabimus, dabimusque propositionem sic arguenti. At non erit sine exemplo rei historicæ gnaro, quod aliqua Religio ab vna sua peculiaritate, vel singularitate in aliquo insigni loco, topicam denominationem assumat, vnde & Minores, qui primi inter Regulares suis domibus nomen Conuentus, & primi inter Mendicantes suis Ecclesijs nomen Conuentualis obtinuerunt, ab hac singularitate nominis cæperint vocitari Conuentuales. Religionem etenim

ab aliquo suo insigni loco *nomen* sortiri perquam familiare dignoscitur; nam Benedictini, Cassinenses vocantur à Monte Cassino, vbi Congregatio cœpit; Chartusiani à Montibus Chartusij Diœc. Gratianopol. vbi sunt fundati, nomen reportauere; Præmonstratenses à Deserto Præmonstrati Diœcesis Laudunen. in Gallia, vbi ipsorum origo à Sancto Norberto, appellationem retinuere; Accessit Cistercienſibus, Clunniacensibus, Vallumbrosanis, Oliuetanis, Camaldulensibus denominatio à locis, respectiuè, Cistercij, Clunij, Vallisumbrosę, Montis Olíueti, Camalduli. Quid igitur mali, vel noui, si à nomine Conuentualitatis inditæ loco fuissent denominati Minores? Quid si Obseruantinis separatis à Communitate Ordinis, hæc suum antiquius nomen retinuit?

12 Et non solum ex hoc capite, sed & à quacumque sui singularitate nomen aliquando sortiuntur Religiones. Do testes primo Canonicos Regulares, vulgo Italico *Rocchettini* à singularitate Rocchetti, quo soli assiduè vestiuntur; Deinde Cassinenses, qui Monacini negri antonomasticè appellantur à colore, quo

ſoli in totum, inter Monachos Occidentales, domi foriſq; vtuntur; Imò & Capuccinos, hoc Italici idiomatis diminutiuo cognominatos ab imminutione, & paruitate acuminis in angulo capuccij extremo: Vnde & Minores notati hac nouitate, & ſingularitate tituli, fortè & irriſi à Parochis, quibus hoc ſtatutum erat odioſum, ac fortè videbatur irridenda conceſſio Conuentualitatis pro humilibus, ac nullius redditus Eccleſiolis Minorum, potuerunt & ab Ironia Parochorum nomen hoc ſuſcepiſſe.

13 Dato autem, quod ſolis Eccleſijs Minorum nomen Conuentualium fuiſſet impoſitum, eſſentne ſoli Minores inter Regulares, quorum Religio ab aliqua Eccleſiæ ſingularitate denominaretur? Non conſiderentur particulares Eccleſiæ in Ciuitatibus, à quibus adnexi, Conuentus, ac Religioſi, nomina vulgo referunt, vt hìc Romæ PP. Mineruæ, Tranſpontinæ, S. Marcelli, SS. Apoſtolorum &c. qui ſic denominantur à titulo Eccleſiæ? Conſiderandi tamen obuenient Canonici illi Regulares, Lateranenſes appellati à Baſilica Laterana, quæ ipſorum ſeruitute colebatur, durà-

runtque in ea vſque ad tempora Eugenij IV. Quondam Canonici Seculares Beati Laurentij Iuſtiniani (recenter ſuppreſſi) quorum Religioni dederat nomen Eccleſia Sancti Georgij in Alega in Aeſtuario Veneto, vnde Canonici Sancti Georgij vocabantur; Clerici illi Regulares, qui & Barnabitę appellati, à titulo Eccleſiæ, quam primam Mediolani Religio obtinuit, nomenclaturam deriuarunt. Ad hęc qui aduerterit, non mirabitur audiens à ſuis Eccleſijs nomen Conuentualium deſumere potuiſſe Minores, qui primi & ſoli inter Mendicantes, vt patet ex Bullæ inſcriptione, primis illis temporibus (nondum factis priuilegiorum communicationibus) ſuis Eccleſijs nomen Conuentualis obtinuerant, domoſque incolebant nomine Conuentus decoratas.

14 Adhuc addendum videtur, nomen Conuentualium nobis debitum fuiſſe ratione inſtituti; è Minoribus enim alij ſunt inſtituti in vita Conuentuali, alij in vita heremitica, alij ſcilicet actiuę, alij contemplatiuę vitę vacantes, ab initio ſuę inſtitutionis, alijque mixtę. PP. quidem Obſeruantini, Pauluccio Trincio

ducente, in Brulliani heremitorium secessere, hincque ad alia vndecim loca iam deserta, MontisLuci, Iani &c. sub Generalibus Friniano, & Giffonensi, fueruntq; ab initio heremitici instituti. PP. item Capuccini, fundatoribus Mattheo de Bascio, ac Ludouico Forosemproniensi, in solitudine meditantibus, heremitico instituto ab initio nomen dedere. Conuentuales verò à prima die suæ institutionis duxere vitam Conuentualem, seu Cœnobiticam in loco Riui torti, vbi duodecim illi sanctissimi homines, primi S. Patriarchę alumni conuiuebant in primo illo Minorum Conuentu, ideòque ex instituto vitam Conuentualem trahentes, verè fuerunt, debueruntque dici Conuentuales, quod idem sonat, ac conuenientes, seu collegialiter viuentes in sancta spiritus vnione, & vinculo charitatis, vt & patet ex Eminentiss. de Luca adducto sect. 2. Et licet inde ad Subasium B. Aegidius, alijque alio diuerterent in solitudinem, semper tamen alij in Conuentibus remanebant, semperque conseruabatur Conuentualitas, seu Collegialitas, si ità liceat appellare cohabitationem. Et in hoc sensu non implicat locus

Constitu-

Conſtitutionis Farineriæ memoratæ, quę Heremitoria à Conuentibus diſtingueret.

15 Sed planè, inſpicienti modum dicendi in textibus adductis, & adducendis, conſtat nomen Conuentualis affeciſſe etiam perſonas, & à primæua Religionis ętate viguiſſe in Minoribus hoc nomen. Legantur Conſtitutiones Ordinis antiquæ, & præſertim editæ à Miniſtro Generali Gerardo Odonio Aquitano è Capitulo generali celebrato Caturci 1337. quas legiſſe noluit Vvadingus, quia Farinerijs antiquiores, cum dixit ſolum in Farinerijs eum locum habuiſſe de Viſitatoribus hìc relatum, in quo eſſet mentio nominis Conuentualium. Conſtitutiones igitur Gerardi Generalis confirmatę à Benedicto XII. per ſuam incipien. *Redemptor noſter &c. Dat. Auenion. IV. Kalen. Septembris, Pontificatus anno ſecundo*; & eidem Bullę inſertæ, de electione Cuſtodum, & Guardianorum cap. 20. habent hæc verba ſillabatim tranſcripta; *Guardiani in ſingulis locis Conuentualibus dicti Ordinis eligantur per Conuentus eorundem locorum, nec in huiuſmodi electione vocem habeant Fratres alij non Conuentuales, licet morentur ibidem*. Hæc

Bulla Benedicti XII. cum Constit. insertis habetur *in Chronol. Seraph. P. Michaelis Angeli de Neapoli to.* 1. *Capitulo Generali* XXII.

16 Et etiam in Constitut. Farinerijs cap. 9. de electione Ministrorum &c. habetur alius textus, quem pręterire placuit Vvadingo, ne nomen Conue ntualium personas afficiens inspicere nolenti obijceretur, sic autem ait cap. 9. *Si verò Guardianum non Conuentualem mori contigerit &c. locum autem non Conuentualem dicimus vbi duodecim Fratres, & supra, pro maiore parte anni non possunt debitè commorari*, restringendo ad loca Fratrum duodecim Conuentualitatem, quam & ad loca sex Fratrum extendebant citatę Constit. Gerardi sub Benedicto XII. quod addo, vt innotescat quænam loca dicerentur Conuentualia, haberent Ecclesiam, ac distinguerentur ab Heremitorijs.

17 Cum igitur Aluarus de Pelagia hic num.9, se ipsum appellet *Conuentualem* in Aracœli; per Constitutiones Benedicti XII. soli Fratres *Conuentuales* habeant ius suffragij ab anno 1337. & iuxta ipsas Constitutiones Farinerias anni 1354. cit. hic nu.10. & 16. dentur *Guar-*

diani Conuentuales, & consequenter Guardiani non Conuentuales, & tum Fratres, tum Guardiani sint personę, quæ denominantur, seu afficiuntur ab hac denominatione Conuentualitatis, quæ ad ipsos immediatè refertur, seu de ipsis prædicatur (vt logicaliter loquamur) nemo inficiabitur id quod pro comperto habetur, nempe Minores in primo sæculo Religionis appellatos fuisse Conuentuales, cum talis appellatio, seu denominatio reperiatur applicata Minoribus in ipsorum Constitutionibus, & ab eiusdem Ordinis Scriptoribus. Et vt hæc clarius innotescant,

18 Addam, Constitutiones, quas à Generalis cognomine Farinerias vocitarunt, prodijsse quidem anno 1354. sub hoc nomine, eo tamen anno non fuisse conditas, seu primo datas Ordini, sed eas esse Constitutiones S. Bonauenturæ, qui quando Generalis præerat Ordini, has tulerat leges cum Capit. generali Narbonę celebrato anno 1260. constitutiones antiquas in nouam formam redigens, nouisq; quibusdam additis statutis, vt & præfata testatur *Chronol. Capit. generali* x I I. *anno* 1260. *&c*, earumque hæ fuerunt vicissitudines. Ipsas

primò in Capitulo prædicto cum grauioribus Patribus sanctissimus Generalis condidit Narbonæ tanta maturitate, adeoque discreto, ac prudenti zelo, vt licet in aliquibus tepescente aliquando feruore, vel nouæ inducerentur leges, vel priscæ inobseruantia antiquarentur, nullæ tamen reuixerint frequentius, atq; diutius quam præfatę Narbonenses, cum nil sanius, nil rectius post diuersarum experimenta nanciscerentur Patres. Primò igitur confirmatæ fuerunt Constitutiones Narbonenses Sancti Bonauenturæ in generali Capitulo Assisiensi 1279. à Generali Bonagratia de Sancto Ioanne Bononiensium. 1
Iterum ibidem alio in Capitulo generali anno 1316. sub Generalatu Michaelis Cæsenatis. Inductas interim alias à Generali Odonio sub Benedicto XII. iam pręcitatas, per tertiam Narbonensium confirmationem, aboleuerunt Patres, in alio Capitulo generali Marsilię celebrato anno 1346. cum Generalis electus est Fortanerius Vassallus, postea Archiepiscopus Rauennas, dehinc Patriarcha Graden. ac tandem Cardinalis. Denuo easdem confirmauit Capitulum Assisien. anno 1354. instititque

neruosè Generalis Gulielmus Farinerius ipsarum Obseruantiæ, vnde ipso publicante, & vrgente, Constitutiones ipsæ appellatæ sunt Farineriæ. Anno autem 1430. in generali itidem Capitulo Assisien. sub Martino V. editæ sunt Constitutiones Martinianæ à B. Ioanne de Capistrano ordinatę, cęperuntque exolescere Narbonenses, quas postremò Patres de Obseruantia in Statuta Barchinonensia, & Vallisoletana collegere, nuncque apud ipsos vocantur *Constitutiones generales antiquæ*, ex Vvading. tomo 2. anno 1260. num. 11.

19 Farinerię igitur appellatæ sunt Constitutiones, quas Farinerius non condidit, nam vt ait *Haroldus to.* 1. *anno* 1354. *num.* 4. *Farineriæ dictæ sunt, licet ipse suum nihil fermè posuerit, & Michael Angel. Neapolitanus in Chronolog. Seraph. sub Capitulo generali* XXIV. anno 1354. ait, *Statuta Gulielmi Farinerij vocantur, quamuis in eis de se nihil posuerit*. Vnde quicquid legis Constitutiones Farineriæ ferant, non anno 1354. est scriptum, sed anno 1260. à Sancto Bonauentura in Capitulo Narbonensi,

nempè Religionis primo sęculo nondum completo, & primo decennio post eam Constitutionem Innocentij IV. *Cum tanquam &c. cit. hic sect. 7. num. 6.* quę emanauerat anno 1259. nobisque nomen Conuentualium dederat.

20 Quo stante, euidentissimè patet de antiquitate nominis Conuentualis, cum etenim Fariniæ *cap. 9.* Conuentualem appellent Guardianum Conuentus formati, illæque Constitutiones fuerint primo editę anno 1260. iam constat, quod anno 1260. (scilicet in principio Religionis, quæ vix quinquagesimum excesserat annum) obtinuerat vsus, vt nomine Conuentualium aliqui vocarentur, atque inualuerat concessio Constitutionis Innocentij IV. vnde ante annum 1354. concedendum sit à Vvadingo auditum fuisse nomen Conuentualium afficiens personas, vtpotè prolatum, & scriptum à S. Bonauentura in suis Constitut. Narbonensibus, quas deinde alio nomine à nupero publicatore denominabant.

21 Quod si Fratres illos sic nuncupatos, non à nomine Religionis, sed à nomine loci cui prę-erant, vel in quo morabantur, quis putaret, &

ex dictis ſolum euinci, quod Fratres Minores appellarentur Conuentuales, vel quia Guardiani in loco Conuentuali, vel quia commorantes in loco Conuentuali, ratione cuius permanentię habebant votum in electione Guardiani, iuxta Conſtitutiones Odonias *cit. hic nu.* 15. non tamen ex denominatione Fratrum illorum ſequi, quod Religio tota appellaretur Conuentualis ab hoc nomine quorumdam.

22 Fatebor hebetudinem ingenij, quod intelligere nequeat, alio nomine Fratres, alio Religionem vocari: Si enim illi Patres vocentur Carmelitæ, certè ipſorum Religio dicetur Carmelitana: ſi alij appellentur Auguſtiniani, certè ipſorum Ordo Auguſtinianus vocabitur; vnde ſi nos vocabamur Conuentuales, noſtra vocabatur Religio Conuentualis.

23 Eoque magis id erit concedendum, quo maior pars Minorum viuebat conuentualiter extra heremitoria; nam ex iam relatis textibus conſtitutionum, quęcunque domus Minorum, in qua degerent vel ſex Fratres iuxta conſtitutiones Odonias, vel duodecim iuxta Farinerias, vocabatur domus Conuentualis, & Conuentuales in illa domo vocabantur qui-

cunque in ipsa de familia permanerent, ex quo patet quod loca Fratrum numerosiora, ea in quibus essent studia, maiorque familia, Fratres in ipsis permanentes, & collegialiter viuentes denominabant Conuentuales, & hi erant vel tota Religio, vel certè maxima pars Religionis, cum pręter istos, pauculi tantum illi superessent, qui in Hęremitorijs degebant, & Hęremitoria comparata Conuentibus habentibus Ecclesias erant minimum quid in tota Religione, præsertim cum extra Italiam non legamus ante Obseruantię ortum multis Hęremitorijs abundasse nostrates.

24. Quod si perpaucos Hęremicolas, ratione habitationis Conuentuales non denominari contingeret, tunc cum hęremiticam vitam agerent, quia tamen ad Hęremum non dimittebantur nisi viri prouectę perfectionis, & ętatis (vt patet de S. Antonio Patauino) hique postquam per aliquod tempus orationi, contemplationibus, ac solitudinibus vacassent, ad loca conuentualia reuertebantur, consequenter etiam ipsi, priusquam ad Hęremum processissent nomine Conuentualium fuerant vocati, & post regressum ad loca conuentualia, iterum

lia, iterum Conuentuales vocabantur, ideòque denominationem ſumendo à maiori parte temporis qua vno, vel altero nomine appellarentur, vocandi ſunt Conuentuales, quia vſq; ad maturam ætatem Conuentuales fuerant, & poſt menſes, vel annum ſolitudinis, iterum reuertebantur ad Conuentus, erantque Conuentuales.

25 Nec aliquandiu ad Hęremitoria ſecedentes etiamſi tempore talis receſſus fuiſſent non Conuentuales, obſtarent denominationi Conuentualium deſumendę à maiori parte Fratrum, quę erat permanentium in Conuentibus, ſicuti, ex hoc quod v. gr. in Religione Prædicatorum, Laici, ſeu Conuerſi non prędicent, quia ipſi ſunt minor pars, non ſequitur quod Religio, non debeat appellari Religio Prædicatorum.

26 Regula autem, & inſtitutio Ordinis Minorum, nunquam loquuntur, vel præcipiunt de vita hęremitica, vnde ſi ex ſupererogatione aliqui ſolitudinem quęrerent ad tempus, ex hoc non mutabatur inſtitutum, vel nomen Religionis.

SECTIO OCTAVA.

Ex dictis, cæteros primos Ordines Mendicantium appellari Conuentuales non incongruit.

SVMMARIVM.

1 *Nimietatis redargutio*.

2 *Alias Religiones matrices posse dici Conuentuales*.

3 *Imò sic appellatas in Bulla Sixti IV.* Dum singulos &c.

1 NImietatis arguor in probando, quod rationes, & congruentiæ iam adductæ probent, non solum Minores, sed & alios antiquiores Ordines Mendicantium debere vocari Conuentuales, vnde Minores à Conuentualitate non habeant constitutiuum, quia distinctiuum ab ipsa non sortiuntur.

2 Verum si allata perpendantur, non omnibus omnia sunt facta: Constitutio enim Innocentij est pro solis Minoribus, licèt motiua Constituti onis possint esse pro omnibus Men-

dicantibus, & Conuentualium inter Minores, nomen, & distinctionem inuestigantes, hæc quærimus tantummodò in Ordine ad *PP. Obseruantinos*, disputantes, an, per quid, & quando orta sit inter nos distinctio, cum à cçteris aliunde distinguamur. Quod si eadem indago sit habenda de PP. Dominicanis, Augustinianis, & Carmelitis in stipite, prout cadere possit distinctio inter has antiquiores Religiones, & ipsarum superuenientes recollectiones, seu reformationes; antiquæ illæ Religiones primi æui non abhorrebunt (puto) à nomine Conuentualitatis, in quo potius gloriabuntur, tamquam in caractere stipitis suæ regularis familiæ, cum intantum ipsi frequenter non vtantur hoc nomine, in quantum ipso non indigent ad distinctionem ab alijs militantibus sub sua regula, quia aliunde distinguuntur; & hac eadem ratione antiqui Minores raro vtebantur nomine Conuentualis, quia ante tempora Fratris Pauli Trincij, nondum nata Obseruantia, terra Minoritica erat vnius labij, nec dum inducto nouo *Obseruantinorum* nomine; ast cum adoleuit Obseruantia, frequentius hoc distinctiuo vti cæperunt, quod &

Summi Pontifices præstitere in suis Constitutionibus. Nullum igitur inconueniens, quod prædicti Patres appellentur Conuentuales; nec vnquam nos eo collimauimus, vt punctum hoc firmaretur, quod nos soli in Ecclesia Dei simus Conuentuales, sed quod nos soli inter Minores, Conuentuales simus, & quod nomen Conuentualium sit antiquum, nec inductum à Leone X.

3 Imò Patres iam dictos esse, & appellari Conuentuales, quando opus sit, habemus, & à Pontificijs litteris, nam Sixtus IV. *Dum singulos Regulares &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno 1475. Kal. Maij, Pontificatus anno quarto*; & habetur *in lib. Monum. Ord. Min. tract. 1. process. fol. mihi 195.* approbando Bullam Pauli II. & sub excommunicationis pœna inhibendo occupationes domorum Religionum Conuentualium, dat hæc verba: *Post nostram ad summi Apostolatus apicem assumptionem, à dilectorum Filiorum, Fratrum Prædicatorum, Minorum, & Heremitarum S. Augustini, & B. M. V. de Monte Carmelo Ordinum Generalibus Magistris, Ministro, & Prioribus, qui pro tempore fuerunt, & aliorum dicto-*

rum Ordinum professorum relatione, non sine querela accepimus, quod Laici in diuersis Mundi partibus constituti, proprijs incumbentes affectibus, dum Magistri, & Ministri, & Priores ipsi tàm Generales, quàm Prouinciales, & domorum eorumdem Ordinum Custodes, Guardiani, & Fratres Conuentuales nuncupati, dictarum domorum iura prosequuntur &c. subiungit verò inferius: *tot malis, quot Prędicatorum, Minorum, Heremitarum S. Augustini, Carmelitarum, S. Mariæ, Ordinum Mendicantium professores prædicti, Conuentuales nuncupati, quorum scientia, & doctrina militans Ecclesia continua suscipit incrementa;* declaratque non licere Laicis se ingerere, vel occupare bona eorumdem Fratrum quatuor Ordinum Mendicantium, *etiamsi domus ipsæ ad Fratres dictorum Ordinum, de Obseruantia nuncupatos, perueniant*. Vnde videmus, quod iam è præfatis Ordinibus Mendicantium prodierant Reformati, occupantes Conuentus præfatorum Ordinum non reformatorum, & Pontifex Fratres antiquę, non reformatę Religionis appellat Fratres Conuentuales, Fratres verò nouarum Reformationum emergentium ab

illis, appellat Fratres de Obseruantia; sicque matricibus cunctis Religionibus antiquis dat nomen Conuētualium, filialibus verò nomen Obseruantiæ; & fortè etiam ex hoc, quod pleræque reformationes à vita eremitica inceperint (vt innuebamus) non reformati autem collegialiter viuebant vita cœnobitica, seu Conuentuali.

SECTIO NONA.

Non sunt duo genera Conuentualium inter Minores, sed hodierni sunt ijdem, ac Conuentuales Innocentij IV.

SVMMARIVM.

1 *An Conuentualitas consistat in mitigatione paupertatis, vnde duo genera Conuentualium.*
2 *Quod reijcitur ex historicè dictis.*
3 *Et si admittatur, non probat bifarium Minorismum, quia paupertas fuit mitigata anno 1265.*
4 *Ad petitionem Religionis,*

5 *Imò Generalis Ministri, qui erat vir sanctus, nempè S. Bonauentura, postea Cardinalis.*
6 *Et alia mitigatio statim aduenit anno* 1281. *à Martino IV.*
7 *Successiuè & altera à Ioanne XXII. anno* 1325.
8 *Ampliorque à Martino V. anno* 1430.
9 *Confirmatæ ab Eugenio IV. anno* 1432.
10 *Vnde ante Leonem X. constat Minores Conuentuales extitisse, & professos esse paupertatem mitigatam est certum.*
11 *Quod & Scriptores de Obseruantia fatentur, in primisque Aluarus de Pelagia,*
12 *Et Memoriale Ordinis Minorum,*
13 *Ac Vvadingus,*
14 *Miranda,*
15 *Rodericus,*
16 *Gonzaga classici Obseruantiæ Scriptores,*
17 *Quibus identitas Conuentualium statuitur.*

1 HIc modus dicendi, quo Sixtus IV. vtebatur in modo allegata Bulla *Dum singulos &c.* fortè aliquibus est occasio suspicandi, quod cum à Pontifice appellentur Conuentuales illi quatuor Ordines, qui anno 1475.

quo data est Bulla, possidebant stabilia, Conuentualitas consistat in professione paupertatis mitigatæ, vnde inter Mendicantes illa Religio debeat appellari Conuentualis, cuius paupertas est mitigata, illa verò non Conuentualis, cuius non est mitigata paupertas. Si verò hæc expositio valeat, corruit, non solum antiquioritas, sed & antiquitas Minorum Conuentualium, quia isti nunc quidem vouent paupertatem mitigatam, sed Conuentuales illi sic appellati ab Innocentio IV. quique tunc in sua puritate strictissimę paupertatis exoriente Religione viuebant ad annum 1250. illi inquam Conuentuales Innocentij IV. non possidebant, ideòque erant Conuentuales alterius rationis, ac generis à Conuentualibus hodiernis, vti posset aliquibus videri.

2 Sed toto cœlo aberraret, qui bicipitem hanc Conuentualitatem chimericam somniaret inter Minores; tum quia satis iam est ostensum sectionibus secunda, tertia, quarta, &c. antiquioritas Conuentualium ipsis debita alio titulo; tum quia à tempore, quo per Fratrem Paulucсium inceperunt Obseruantini, constat

constat antiquioritas; tum etiam quia Pontificijs Bullis est firmatum, quod antiqui Minores, vel Minores *antonomasticè* dicti, sint hodierni Conuentuales; tum tandem, quia asserentis est probare assertum, deberetque qui sic opinaretur, probare, quod hæc nomina, Conuentualis, & dispensatus, seu possidens, vel possessor sint idem, quod facilè Grammatici, & Iuristæ non admittent.

3 Sed hæc dicta pro non dictis reputando. Valeat expositio, quam ex abundantia nostrarum rationum volumus admittere. Quid inde? Si duo genera Conuentualium deberent inter se distingui, per mitigatam, & non mitigatam paupertatem, certè vnicum genus Conuentualium debebit assignari, quia etiam pro Conuentualibus ab Innocent. IV. fuit temperatus rigor paupertatis, nam elapsis vix quinquaginta annis ab Ordinis institutione cæpisse mitigari pro Minoribus apertè comprobat Clemens IV. Constit. 1. *Obtentu Diuini numinis &c. Dat. Perusij 2. idus Februarij, Pontificatus anno primo*, qui fuit annus 1265. nempe annus Religionis quinquagesimus octauus; & hæc Constitutio habetur in tomo 1.

Bullarij magni; dirigitur autem Constitutio ad Prædicatores,&c Minores, aitque: *Pro parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum, quod &c. Nos itaque vestris petitionibus benignius attendentes, auctoritate Apostolica declaramus, quod vos in temporalibus bonis, in quibus succederetis in sæculo existentes, licitè possitis succedere, & bonorum ipsorum possessionem apprehen-*
4 *dere &c.* Duo autem obueniunt valdè notabilia in hac prima mitigatione paupertatis, scilicet, quod ad petitionem ipsorum Fratrum emanauerit Constitutio, vt patet ex ipsius verbis, *Pro parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum;* vnde illi primi Minores perfectissimi Religiosi, hanc mitigationem petendo, ostenderint dispensationes non esse nostri sæculi teporem, sed oriri à tàm vrgentibus causis, vt & animum virorum sanctorum possint mo-
5 uere. Aliud verò huic affine obseruandum est, quod anno 1265. quo Constitutio emanauit, ipsam pro Religione petebat Generalis, eratque tunc Generalis sanctior homo, qui post Sanctum Franciscum Religioni præfuerit; Annus enim 1265. fuit annus nonus Generalatus S. Bonauenturę. Ex libro namque,

cui titulus *Memoriale Ordinis*, habemus, quod S. Bonauentura fuit electus Generalis anno 1256. qui fuit annus secundus Alexandri IV. & permansit in officio per annos octodecim, vnde per ipsius assumptionem ad Cardinalatum; vacante Generalatu, anno 1274. fuit electus Generalis successor, Frater Hieronymus ab Asculo, successitque Cardinali Ex-Generali, Generalis futurus Pontifex. Cum igitur primus Generalis, qui paupertatem mitigari rogauit, fuerit ille sanctissimus vir Bonauentura, hæc non improbabitur in Minoribus, nisi improbetur sanctus Generalis mitigator; credeturque sancta, & iusta mitigatio, quam petijt Vir adeo sanctus, & iustus, vt ob sanctitatem, & iustitiam inter Diuos fuerit relatus. Ex hoc igitur habemus primam paupertatis mitigationem ab anno 1256. temporibus Innocentij IV. valde contiguis.

6 Paulo post alia mitigatio aduenit, cum 1281 electus Summus Pontifex Martinus IV. concessit, *Bona legata ex hæreditate ab intestato, vel aliunde prouenientia, administrari per Sindicos, eligendos à Ministris, Generali, vel Prouincialibus, ipsisque Sindicis, seu Procuratoribus se-*

eularibus, Ordini concessis, posse uti remedijs iuris, agendo in hæredes, vel quoscumque morosos in soluendo, vel implendo legata in fauorem Fratrum Minorum. Et hic est sensus Bullæ, quem prolixius adhuc recitat Sixtus IV. ipsum inserens suæ Bullę, *Dum vberes fructus &c.* quam modo citabimus in hac sectione nona, cum Bulla Martini ad meas manus non peruenerit.

7 Ad idem collimat Ioannes XXII. in sua Extrau. *Quia quorumdam &c. de verb. signif. 6.* quæ potest videri in corpore iuris canonici.

8 Multo adhuc ampliori mitigatione processum est ad vlteriora in mitiganda paupertate Minorum à Martino V. per ipsius Constit. *Ad statum Fratrum Ordinis Minorum &c. Dat. Romæ apud SS. Apostolos 10. Kal. Septembris, Pontificatus anno decimotertio;* qui incidit in annum Christi 1430. & hæc Constitutio habetur *in Firmam. trium Ord. tract. 1. par. 2. fol. mihi 64.* cuius hæc sunt verba: *Nos volentes Conuentuum, locorum, & Fratrum huiusmodi opportunitatibus prouidere ..... concedendi Procuratoribus Conuentuum, & locorum dicti Ordinis pro tempore existentibus, vt possessiones, &*

bona quæcumque mobilia, & immobilia, ac annuos prouentus, hactenus præfato Ordini, & eius Conuentibus relicta, & in posterum relinquenda &c. capere, recipere, tenere, & possidere, ac ipsorum fructus, redditus, & prouentus petere, exigere, & percipere, illosque in commodum, & vtilitatem Fratrum ipsorum, Conuentuum, & locorum &c. conuertere, & exponere &c. & cum loquatur non solum de stabilibus futuris, & relinquendis, sed & de relictis, & in preterito iam legatis, vt ex illis verbis, *hactenus præfato Ordini, & eius Conuentibus relicta*, manifestè apparet, quod iam ante annum 1430. Minores possidebant stabilia, fructusque annuos percipiebant.

9 Confirmauit hęc omnia Eugenius IV. *Apostolicæ Sedis &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno* 1432. IV. *Kalen. Maij*. Confirmauit Pius II. *Ad exequendum &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno* 1458. *Pontificatus anno primo.* Confirmauit Sixtus IV. *Dum fructus vberes &c. Dat. Romæ apud S. Petrum anno* 1471. *pridie Kalen. Martij, Pontificatus anno primo*; & huic Bullæ inserit concessiones, & mitigationes Martini IV. nec de subreptione, vel

non plena informatione dubitari potuit in Sixto IV. qui fuerat Generalis Ordinis. Confirmauit tandem Alexander VI. *Ea, quæ per nos &c. Dat. Romæ anno* 1499. IV. *Kalen. Septembris, Pontificatus anno octauo*; inferens concessionem Alexandri V. Conuentui Camberiacensi, ipsamque extendens ad Prouincias Franciæ. Quæ omnes confirmationes habentur in sæpe cit. *Firmam. trium Ord. tract.* 1. *par.* 2. *de priuilegijs fol. mihi* 64. *& seqq.*

10 Quod quidem videtur plusquam satis pro plena probatione, cum nouem testes contestes omni exceptione maiores inducantur in nouem Pontificum Constitutionibus, quibus euidenter conuincitur, ab initio fuisse mitigatam paupertatem Minorum, ac deinde continuatas, & confirmatas fuisse mitigationes successiuè à Pontificibus vsq; ad annum illum 1517. quo gratis asseritur nouam speciem Conuentualium erupisse, cum & Conuentuales Innocentij IV. cæterique omnes Conuentuales vsque ad Leonem X. paupertatem mitigatam profiterentur.

11 Et in praxi ità euenisse, Minoresque à primordio Religionis, & acceptasse Pontificias

dispensationes, & eisdem vsos fuisse, contestantur Scriptores Ordinis, qui primos Minores in mitigata paupertate vixisse post S. Patris obitum, vnanimiter scribunt.

Et quidem Aluarus Pelagius Minorita, Scriptor anni 1320. sub Ioanne XXII. in suo lib. *de planctu &c. lib. 2. cap. 66.* paulo post initium, ait, *Tota die vendunt aliqui Fratres Minores ligna de siluis, granum de terrulis, quas aliqui habent iuxta hortos; vinum de quibusdam vincolis, & pergulis; hortalitia de horto, mel de aluearijs apum, fructus de arboribus;* vnde iam ante annum 1320 cęperant effectiuè, & realiter habere aliqua stabilia, terrulas, vineolas, &c.

12 Liber antiqui Scriptoris, qui inscribitur *Memoriale Ord. Minorum*, in cathalogo Generalium, de Magistro Gondisaluo Hispano, sextodecimo Generali Ordinis, electo Assisij anno 1304. ait: *Hic Generalis per Ordinem discurrens . . . eleęmosynas perpetuas relinquere, & annuales redditus suis Dominis, quibuscumque obligationibus compellebat; pro reformatione Ordinis laborauit; totum Ordinem expropriauit;* quia tamen iubebat Fratres se abdicare ab an-

nuis redditibus, constat, quod tunc Fratres habuerant redditus, quos relinquere cogebantur à Gondisaluo.

13 De quo eodem Generali Gondisaluo Vvading. to. 3. anno 1304. nu. 13. eadem reperit, sic, *strictè etiam præcepit, vt vineæ, ex quibus vinum colligebatur in vsum Fratrum, vel vt venderentur, omnino demolirentur, vel alienarentur*; ex quo apparet illa (quam appellant Conuentualitatem) scilicet paupertas mitigata, quæ existebat multo ante ortum Obseruantiæ, nec sunt duo genera Conuentualium.

Cum Vvadingo alij Obseruantini Scriptores hanc mitigationem extitisse primis illis temporibus fatentur; nam

14 Ludouicus Miranda Obseruantinus *in Manual. Prælat. to.* 1. *qu.* 12. *art.* 1. *conclus.* 3. ita scribit, *sic factum est, vt ab anno* 1226. *quo è vita decessit, atque ad cœlestia translatus est Beatissimus, atq; Seraphicus Pater noster Franciscus, vsque ad annum* 1380. *nulla ferè in tota nostra Religione esset domus, quæ non iam ex Summorum Pontificum dispensatione proprium, diuitias, & prædia non possideret*.

15 Emanuel Rodericus itidem Obseruantinus

quæst.

quæst. Regular. tomo 1: quæst. 5. art. 1. similiter obseruat, quod Religio Minorum ab exordio sui *per spatium viginti annorum, ita fuit per vniuersum Orbem propagata, vt PP. istius Ordinis intelligerent statum primitiuum Recollectorum non esse satis commodum ad cultum Diuinum, & litterarum exercitia, quibus potuissent Ecclesiam, & animarum salutem adiuuare; neque exiguitatem Monasteriorum esse capacem ob tantorum Fratrum habitationem; neque arctissimam Regulæ paupertatem esse sufficientem ad ipsorum sustentationem, à Summis Pontificibus dispensationem impetrauerunt, vt diuitias proprias in communi, & in Claustro viuentes, possidere potuissent, & ità Apostolico Diplomate factum est, vt anno Domini* 1380. *nulla esset domus, quæ diuitias, & prædia non possideret.*

16 Gonzaga verò Ex-Generalis Obseruantinus *de origine Seraph. Relig. par. 1. tit. de Cæsarenorum initio &c. legitimis quibusdam causis noster Ordo sub Innocentio IV. Pontifice Max. circa annum à Mundi redemptione* 1244. *ab Ordinis verò institutione* 35. *& annuos redditus, & rerum immobilium dominium, ac proprietatem (in communi tamen) ex Pontificia dispensa-*

tione admisit, quo nemo clarius fatetur Conuentuales sub Innoc. IV. practicasse paupertatem mitigatam, cum apertè asserat, quod sub Innocentio IV. à quo emanauit nomen Conuentualium, cęperint Minores possidere.

17. Quare non mihi videtur ex vllo capite ambigi posse de hac identitate Conuentualium, cum, & ex Summis Pontificibus, & ex tàm indubia, ac aperta ipsorum Scriptorum ex Obseruantinis confessione, hæc veritas prostet, quod scilicet Conuentuales sub Innocentio IV. viuebant in paupertate mitigata, quam profitentur hodierni Conuentuales.

SECTIO DECIMA.

Etiamsi Conuentualés antiqui non possedissent, hodierni non essent alij, seu diuersi àb illis.

SVMMARIVM.

1 *Etiamsi Conuentuales primi sæculi non possedissent, adhuc essent ijdem hodiernis:*

2 *Nam possessio inducit alteritatem, non alieta-*

tem, remanetque identitas essentialis.

3 *Essentialia status Religiosi, & paupertatis Claustralium declaratur.*

4 *Paupertas virtus religiosa non consistit in indiuisibili:*

5 *Non sunt essentialiter mutati Conuentuales;*

6 *Estque doctrina periculosa, quæ deducit mutationes à ditescentia;*

7 *Cùm & Sancta Romana Ecclesia possideat, nec sit mutata,*

8 *Et ex iusta causa licitè inducantur variationes accidentales,*

9 *Etiam in iis, quæ præcepta Euangelica concernunt;*

10 *Et primitiuis Sanctæ Matris Ecclesiæ.*

11 *In casu verò essentialia principali intentioni saluantur.*

12 *Dicta epilogo clauduntur.*

1 QVod paupertas Conuentualium ante annum 1517. non fuerit mitigata, nullus vel Conuentualis, vel Obseruantinus potest asserere. Non Conuentualis, ne mentiatur contra Bullas Pontificum. Non Obseruantinus, ne deducatur superfluitas Obseruantiæ;

nam si Conuentuales, vt dispensati non incæpissent possidere, fuisset superflua Reformatio, impotens ad arctiorem super arctissimam paupertatem inducendam, vt supponeretur in tali casu. Iam satis igitur firma basi probationum est firmatum, & ex hoc, & ex sectione nona, quod Conuentuales ante annum 1517. profitebantur paupertatem mitigatam, & possidebant stabilia.

Adhuc tamen, vt melius eluceat veritas, & patentius clarescat quam exili fundamento innitatur euasiuncula prætentata lubeat concedere non concedēda, dicendo, quod etiamsi Conuentuales non possedissent ante annum 1517. adhuc tamen hodierni Conuentuales non essent alij à Conuentualibus Innocentij IV.

2 Non enim ex hoc, quod Conuentuales incæpissent possidere in communi sub anno dicto, benè deduceretur Conuentuales esse alios à Conuentualibus, qui supponerentur non possidentes; nam scholastico idiomate loquendo cum Philosophis, hæc non appellatur alietas, sed alteritas, quia qui variatur accidentaliter fit alter, non alius; qui verò mutatur sub-

ſtantialiter, fit, & alius, & alter, & ex hoc in Conuentualibus non fuiſſet facta mutatio eſſentialis, ſeu deperditio illius formæ, quæ eſt ſubſtantialis Religioni, ſcilicet paupertatis; quæ fuiſſet immutata tantummodò accidentaliter, per tranſitum ab eſſe intenſo ad remiſſum, deficiente gradu, qui afficiebat Communitatem, & remanente eo, qui reſpiciebat particularitatem Fratrum, in quo conſiſtit eſſentia paupertatis religioſæ, vt modo ſubdam cum Lezana &c. vnde qui erant pauperes in communi, & in particulari, nũc ſint pauperes in particulari, & diſpenſati in communi. Creuerimus. Simus aucti rebus, iure, poſſeſſu. Quid inde ſubſtantialibus Ordinis? Augumentatio, & accretio, non facit, quod ego ſim alius homo ab eo, qui natus ſum, quiue fuerim trimulus, aut decennis. Sim alter: non ſum alius, homo ille octuagenarius eſt ſubſtãtialiter idẽ, qui erat puerulus, & filius eiuſdem Patris, à quo natus eſt infans, cum accidentali diuerſitate ſtat ſubſtantialis identitas: Petrus homo pauper, hæreditate fit diues? Fit alter, non alius. Eſt eadem familia, eſt eadem progenies, ante, & poſtquam adiuit hæreditatem. Reſpu-

blica Laconum diues in communi, non in particulari, Romana vero ditior & in communi, & in particulari, non differebant ex hoc in genere Reipublicæ, cum vnaquæque essentialia haberet eadem.

3 Quæ verò sit substantia, & essentia nostri statûs Religiosi, dicet Eminentiss. Bellarminus Controuers. to. 2. cap. 5. de Monachis lib. 2. cap. 5. *Essentia vitæ religiosæ in tribus illis virtutibus, obedientia, paupertate, castitate, ab omnibus huius temporis Religiosis constituitur*, ait ipse. Paupertas verò statui Regulari essentialis, quęnam sit, dicet Lezana, qui huius paupertatis essentiam statuit in voluntaria rerum temporalium abdicatione, per quam Religiosus ipsarum proprietate priuatur; vnde sicuti per votum obedientiæ Religiosus vsum suę libertatis voluntati Superioris subijcit, ità per votum paupertatis omnem vsum rerum temporalium voluntati Superioris submittit, solo vsu facti sibi retento, quo rebus necessarijs vtitur dependenter à voluntate Superioris; ità ipse *Lezana quæst. Regular. cap. 6. num. 2. & 3. cum Nauar. to. 2. de Regular. Sanchez lib. 7. in Decalog cap. 18. num. 25. Rodriquez to. 3. quæst.*

Regular. quæst. 29. art. 4. Hincque Conuentuales, qui hanc paupertatem profitentur, ficut obferuabant in Religionis exordio, effentialiter funt ijdem Conuentuales, & eiufdem inftituti, cuius erant in Ordinis principio.

4 Acceffit quidem Pontificia mitigatio, per quam accidentaliter eft variata paupertas, fed permanet immutata quoad effentiam, confiftentem in expoliatione particulari ftatuta per Doctores, & per Pontifices explicata. Non enim paupertas, quæ moralis eft virtus de genere temperantiæ, eft deterioris conditionis, ac cæteræ virtutes, quæ quidem confiftunt in medio (vt optime philofophantur *Ariftoteles 2. Ethic. cap. 6. & Scotus in 3. dift. 36.*) non tamen in medio indiuifibili, fic, quod acceffus, & receffus habitum moralem non remittant, feu non intendant vfque ad attingentiam heroicifmi &c. fed & ipfa paupertas cum ceteris virtutibus graditur circa medium diuifibile, cum fua maioritate, & minoritate; vnde ficuti ex hoc, quod vnus fit fortior, temperantior, vel iuftior altero, non fequitur, quod in minus forti, minus temperanti, vel iufto, non fit fortitudo, temperantia, vel iuftitia, fic ex eo, quod

Obſeruantinus ſe pauperiorem dicat Conuentuali; non ſequitur, quod in Conuentuali non ſit ſua paupertas, qua licèt reſpectu non poſſidentis in communi, videatur minus paper, tamen quia in particulari eſt ità non poſſidens, ſicut erat in principio Ordinis, ex iam dictis, eſt etiam idem Conuentualis qui tunc, & retinet eſſentialia paupertatis, quia caret dominio, proprietate &c. habet virtutem paupertatis in gradu ſtatui Minoritico ſubſtantiali, ſeu eſſentiali ſcilicet carentiam dominij.

5 Occurret quod, qui de non poſſidente fit poſsidens, mutet conditionem, vt ſi Ciuis priuatus ex hæreditate fit Marchio; & conſequenter Ordo mutata conditione non mitigatæ in mitigatam paupertatem, ſit alius, nec amplius idem? Sed quid ad me de conditione, ſi cauſa maneat eadem, & eadem forma ſubſtantiali immutata, ſcilicet paupertate eſſentiali inuariata, non ſequitur diuerſitas eſſentialis, quod fortè, & de aliqua accidentalitate contendam? Et qui ante annum 1250. ſub Innocentio IV. ſecundum mentem Gonzagæ incæpimus poſsidere, quomodo, vel in quo mutamur anno 1517? Certè manemus ijdem.

Sed ſibi

6 Sed ſibi caueat à tali doctrina vir ſanæ mentis; ſi enim poſſidens alius eſſet à ſe ipſo non poſſidente, vel ſucceſſor quia poſſidens, diceretur diuerſæ rationis ab anteceſſore non poſſidente, hac ſola ratione poſſidendi, & habendi, enormiſsimo errori daretur occaſio ex
7 malè olenti doctrina. Eccleſia enim, quę poſt donationes Conſtantini, Ariperti, & Pipini poſsidet, & tamen prius non poſsidebat; non eſt alia ab ea, quæ fuit ante donationes, ſed eadem, quæ primitiuo tempore Apoſtolorum eſt fundata, ad noſtram ętatem perſeuerat vndequaque *immutata,* nec ipſius identitati vllo modo offecit accidentalis tranſitus à non poſſidendo ad poſsidendum donata à præfatis Regibus, quia ipſius eſſentialitas ab hoc non deſumitur, & petrà, ſuper quam eſt fundata, ex hoc non concutitur, de quo tamen poſſet Hæreticus dubitare, ſi admitteretur allata doctrina de alietate inducibili per dominium ſuperueniens, vt aduertit Gabriel Faber Pari-
8 ſienſis *in Speculo cit.* Quod identidem de Apoſtolica paupertate erit dicendum, ijs enim à Chriſto Saluatore præcipitur *Matthæi* 10. 10. *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque*

pecuniam, quam tamen possident successores Episcopi, quos si quis diceret Apostolorum successores non esse, mentiretur in fidem; quia iusta causa superueniente pro variatione accidentali, hæc non immutat substantiales rerum essentias, vt patet exemplo Apostoli Petri, omnes enim Apostolos præceperat Dominus *non portare peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta*, vt ex *Matthæi* 10.10.
9 & tamen Petrus caligis calceatus incedebat teste Angelo, qui ipsi à vinculis exsoluto dicit, *Præcingere, & calcea te caligas tuas. Actorum* 12. 8. Ità etiam de Ecclesia, nam licet fundaretur in tam arcta paupertate, vt Christus roganti quid agendum pro salute dixerit: *Si vis*
10 *perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. Matth.* 19.21. tamen tempore Apostolorum, non datæ pauperibus pecuniæ, sed ad pedes Apostolorum positæ, & conseruatæ pro Fidelium necessitatibus leguntur, *Actorum* 4. 32. vbi dicitur, quod qui conuertebantur ad fidem, *Habilia sua vendentes, afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum*; ac de ijs, & similibus in sacris Ritibus, in regimine Ecclesiastico,

alijsque possent millena afferri exempla: quæ tamen omnia sanctissimè facta fatebimur omnes.

11 In casu autem identitatis Conuentualium, cum identitas Religionum desumatur ab idētitate finis, & instituti ipsarum, finisque vltimatus huius in communi,& aliarum omnium Religionum sit Christianæ vitæ perfectio in charitate essentialiter consistens; finis verò non vltimatus,& in particulari sit ordinatio ad vitam mixtam ex actiua, & contemplatiua, vt præ cæteris Theologis statuit Ludouicus Miranda *in Manual. Prælat. quæst.6. art.* 1.*&* 2. & media sint illa tria vota statui Regulari essentialia,quæ apud Conuentuales(vt per dicta ex Lezana)sunt in statu pristinę essentialitatis, licèt in aliqua accidentalitate paupertas sit mitigata, consequenter remanet, & perseuerat in sua identitate hæc Religio Conuentualis,atque ideò in possessu pacifico suę essentialitatis, atque antiquioritatis.

12 Quam quidem antiquioritatem (vt iam dicta dicendi fine restringam) probasse existimauero, & ex reprobatione assertorum D.Gratij, quæ vel non probare, vel æquè pro

me probare demonſtraui; & ex conſenſu Scriptorum, qui ad annum 1350. vel 1400. reducunt Obſeruantiæ initium, cum ante, anno 1220. incæperint Minores Conuentuales, ſeu Minores de Communitate Ordinis, vt ibi dicit Concil.Conſtantien. ſeſs. 19. Quod idem fatentur Auctores Obſeruantini, qui inſtitutam à Fratre Paulo deTrincis reformationem, vnanimiter reducunt ad ſecundum ſæculum Religionis; ſtatuuntque tot Summorum Pontificum Diplomata adducta in ſectione quarta, ſuadente ratione, quod omnis Reformator ſit poſterior reformato, nec poſſit reſtaurator reficere niſi id, quod prius fuerit à fundamentis erectum, vel filius eſſe coętaneus patri, ac multo minus poſſit eſſe ſenior patre; vnde nec Obſeruantina Religio, quæ eſt filialis, poſsit eſſe antiquior Conuentuali Religione matrice, cuius ſi daretur fundatio poſt annum 1517. nequit aſsignari Fundator à ſic ſomniante; Vnde & quia antiquiores habet domus, & antiquiora Ordinis inſignia, in Magiſterio, Inquiſitoratibus &c. & quia ſub ſua obedientia ſupra ſæculum continuit Obſeruantinos, quibus & Generales impoſuit Vicarios, dignoſcitur

hæc Religio Conuentualis pro antiquiori. Nec valet opponere, quod antiquioritas debeatur Minoribus, qui desierunt anno 1517. abeuntes vel in Conuentuales, vel in Obseruantinos, non debeatur autem Conuentualibus, qui cęperint anno 1517. cum ex Pontificijs Diplomatibus datis sectione sexta, sit probatum, quod adhuc durent Minores illi, sic absolutè, & antonomasticè appellati, sintque ijdem Conuentuales, qui idcircò ante annum 1517. extiterint, vt patet ex antiquitate nominis Conuentualium, concesſi ab Innocentio IV. anno 1250. ab eoque desumpto, sicut nec implicasset talis nominis desumptio ab Ecclesijs Minorum, quæ primæ inter Mendicantes Conuentualitatem sunt assecutæ, ex ea Constit. Innocentij IV. ibi citata sect. 7. vel etiam à domibus potuisset appellatio desumi, quia tunc cæpere appellari Conuentus, vel à vita collegiali, prout ab heremitica distingueretur, vnde per annos subsequentes viguit nomen Conuentualium in Ordine, licèt raro vsitatum, in Constitutionibus tamen, & Scriptoribus Ordinis repertum. Ex quibus non repugnat cęteras Religiones matrices Men-

dicantium appellari Conuentuales, imò sic appellatas à Sixto IV. apparet ex data ipsius Bulla; nec sunt duo genera Conuentualium inter Minores, quorum aliqui possederint, alij verò nequaquam, cum ab Ordinis primordio inuectas inter Minores Pontificias dispensationes, & paupertatis mitigationes probent, & tot Pontificum Constitutiones datæ sectione nona, & etiam ipsi Obseruantini Scriptores ibidem citati. Imò etiamsi Conuentuales sub Innocentio IV. non possedissent, nunc possident, adhuc essent ijdem, quia ex Doctoribus datis sectione decima, atque rationibus, in essentialibus non differunt hodierni Conuentuales ab antiquis, cum eadem paupertas in particulari seruetur, quæ per Summos Pontifices est mitigata in communi.

Ex quibus omnibus probata identitate Conuentualium nunc existentium cum antiquis Minoribus; probata antiquitate nominis Conuentualium; probata recentioritate Obseruantinorum, incipientium centum annis, & vltra, post Conuentuales, non remanet locus ambigendi de Conuentualium

antiquioritate, luce meridiana clariori, totque rationibus, & auctoritatibus fulta, quot pro suæ ætatis maioritate in filiam producat quęlibet Mater.



APPENDIX.

AD primum Opusculum spectassent ea, quæ sequuntur, sed neque tunc omnia obuenere, nec assidua gerendorum cura, cui ex officio sum obnoxius otia præstitit quæsitationi. Nunc igitur hęc addo, quæ folio volanti ad Prouinciarum Ordinarios suo tempore transmissa, vel apud eos remansisse, vel perijsse possunt, ideòque latere Recentiores, quorum, cum in Tribunalibus Vrbis, non admittatur ignorantia, quia iam fuerunt sufficienter publicata, & redacta in vsum, ad ipsorum regulam, & reminiscentiam subdo. Leges sunt Pontificiæ, & quæ à S. Congregatione emanarunt sunt præceptiua circa Nouitiatus, & Tertiarios; declaratiua verò, quæ in dubijs circa Grangias, Missarum obligationes, & celebrationes, ideòque omnia habent vim legis. Commiscui Italicam à Religione informationem pro locis Nouitiatuum assignandis, vt pateat, audita parte, plenè informatum processisse Legislatorem, nec sit locus ambigendi.

DEPV-

DEPVTATI A S.CONGREGATIONE

Eminentissimorum S.R.E. Cardinalium statui Regularium præposita, ad indicanda loca idonea pro Nouitiatibus, & Professatibus in Prouincijs Italiæ referunt, vt sequitur:



OI infrascritti d'ordine della Sagra Congregatione deputata dalla Santità di Nostro Signore sopra lo stato de Regolari, hauendo vnitamente tenuti diuersi discorsi, e conferenze, e fatta matura consideratione sopra lo stato, e Prouincie della nostra Religione nell'Italia, conforme quello si è determinato ne'Capitoli Generali per buona educatione de Giouani, siamo concordemente venuti in senso; e così co'l nostro giuramento affermiamo, che per mantenimento del nostr'Ordine, & Instituto, e per la buona osseruanza della disciplina regolare è necessario, che siano designati dalla S. Congregatione, e stabiliti per luoghi de Nouitiati gli infrascritti Conuenti, ne'quali solamente per l'auuenire si possano riceuere Nouitij in quel numero, e con quelle conditioni, e ristrettiue, che la S. Congreg. stimarà bene di prescriuere.

Nella Prouincia di Roma,

Che contiene Conuenti num. 50. Religiosi Professi di familia num.418. e Conuersi nu.95. secondo l'vltima prefissione fatta in conformità della Constitutione di Sua Beatitudine, publicata a' 22. Decembre 1649. sia designato per luogo di Nouitiato

Il Conuento di S. Francesco di Viterbo, capace di poter tenere Nouitij num. 12. e Professi di famiglia num.24.

E per luoghi de Professorij

Il Conuento de Santi Apostoli di Roma, capace di poter tenere soggetti di Professorio num.8.

Il Conuento di S. Carlo di Caue, capace come sopra di Professi num. 10.

Il Conuento di S. Francesco di Fiorentino, capace come sopra di Professi num. 8.

Nella Prouincia di S. Francesco,

Che contiene Conuenti num. 37. Religiosi Chierici Professi num.300. e Conuersi num.69. sia designato per luogo di Nouitiato il Sagro

Conuento d'Asisi, capace per tenere Nouitij num. 16. e Religiosi Professi num. 70.

E per luoghi de Professorij

Il Conuento di S. Francesco di Perugia, capace di poter tenere soggetti di Professorio nu. 8.

Il Conuento di S. Fortunato di Todi, capace come sopra di Professi num. 8.

Il Conuento di S. Francesco d'Amelia, capace come sopra di Professi num. 6.

Nella Prouincia di Bologna,

Che contiene Conuenti num. 49. Chierici, Religiosi Profesi nu. 492. e Conuersi nu. 120. sia designato per luogo di Nouitiato

Il Conuento di S. Francesco di Bologna, capace di poter tenere Nouitij num. 18. e Profesi di famiglia num. 80.

E per luoghi de Professorij

Il medesimo Conuento di S. Francesco di Bologna, capace di poter tenere soggetti di Professorio num. 8.

Il Conuento di S. Francesco di Ferrara, capace come sopra de Profesi num. 10.

Il Conuento di S. Francesco di Faenza, capace come sopra di Professi num. 10.

Nella Prouincia di Napoli,

Che contiene Conuenti num. 73. Religiosi, Chierici num. 747. e Conuersi num. 190. sia designato per luogo di Nouitiato

Il Conuento di S. Lorenzo di Napoli, capace di poter tenere Nouitij num. 20. e Professi di famiglia num. 100.

E per luoghi de Professorij.

Il medesimo Conuento di S. Lorenzo di Napoli, capace di poter tenere soggetti de Professorij num. 12.

Il Conuento di S. Francesco d'Auersa, capace come sopra di Professi num. 10.

Il Conuento di S. Francesco di Mirabella, capace come sopra di Professi num. 10.

Nella Prouincia della Marca,

Che contiene Conuenti num. 75. Religiosi Chierici Professi num. 602. e Conuersi nu. 125. sia designato per luogo di Nouitiato.

Il Conuento di S. Francesco di Fermo, capa-

ce di poter tenere Nouitij num. 12. e Profeßi di famiglia num.36.

E per luoghi de Professorij.

Il Conuento di S.Francesco d'Vrbino, capace di poter tenere soggetti de Professorij n.10.

Il Conuento di S.Francesco di Fano, capace come sopra de Professi num.8.

Nella Prouincia di S.Nicolò da Bari,

Che contiene Conuenti num.42. Religiosi Chierici Professi num.492. e Conuersi nu.120. sia designato per luogo di Nouitiato

Il Conuento di S.Francesco di Lecce, capace di poter tenere Nouitij num. 12. e Profeßi di famiglia num.25.

E per luoghi de Professorij.

Il Conuento di S.Francesco di Bitonto, capace di poter tenere soggetti de Professorij nu. 8.

Il Conuento di S.Francesco d'Andria, capace come sopra de Profeßi num.8.

Nella Prouincia di Milano,

Che contiene Conuenti num.36. Religiosi Chierici Profeßi num. 390. e Conuersi nu.90.

sia designato per luogo di Nouitiato

Il Conuento di S.Francesco di Milano, capace di poter tenere Nouitij num. 12. e Professi di famiglia num.60.

E per luoghi de Professorij

Il medesimo Conuento di S. Francesco di Milano, capace di poter tenere soggetti de Professorij num. 10.

Il Conuento di S.Francesco di Sarono, capace come sopra de Professi num. 8.

Il Conuento di S.Francesco di Gallerato, capace come sopra de Professi num. 6.

Nella Prouincia di Toscana,

Che contiene Conuenti num. 41. Religiosi Chierici Professi num. 334. e Conuersi nu. 85. sia designato per luogo di Nouitiato

Il Conuento di S.Croce di Firenze, capace di poter tenere Nouitij nu. 12. e Professi di famiglia num. 55.

E per luoghi de Professorij

Il Conuento di S. Francesco di Pisa, capace di poter tenere soggetti de Professorij num. 10.

Il Conuento di S.Francesco di Siena, capace come sopra de Professi num. 10.

Il Conuento di S Francesco di Pistoia, capace come sopra de Professi num. 8.

Nella Prouincia di Genoua,

Che contiene Conuenti num. 41. Religiosi Chierici Professi num. 352. e Conuersi nu. 92. sia designato per luogo di Nouitiato

Il Conuento di S. Francesco di Genoua, capace di poter tenere Nouitij num. 15. e Professi di famiglia num. 50.

E per luoghi de Professorij

Il Conuento di S.Francesco di Torino, capace per poter tenere soggetti de Professorij n. 10

Il Conuento di S.Francesco di Pauia, capace come sopra de Professi num. 8.

Il Conuento di S. Francesco di Castelnuouo, capace come sopra de Professi num. 6.

Nella Prouincia di S. Bernardino,

Che contiene Conuenti num. 31. Religiosi Chierici Professi nu. 208. e Conuersi num. 55. sia designato per luogo di Nouitiato

Il Conuento di S. Francesco di Teramo, capace per poter tenere Nouitij num. 12. e Professi di famiglia num. 30.

E per luoghi de Professorij

Il Conuento di S. Francesco dell'Aquila, capace per poter tenere soggetti de Professorij num. 8.

Il Conuento di S. Francesco di Sulmona, capace come sopra di Professi num. 6.

Nella Prouincia di Calabria,

Che contiene Conuenti num. 32. Religiosi Chierici Professi num. 245. e Conuersi nu. 60. sia designato per luogo di Nouitiato

Il Conuento di S. Francesco d'Arena, capace per poter tenere Nouitij num. 12. e Professi di famiglia num. 18.

E per luoghi de Professorij

Il Conuento di S. Francesco di Monte-leone, capace di poter tenere soggetti de Professorij num. 8.

Il Conuento di S. Francesco di Gerace, capace come sopra de Professi num. 6.

Nella

Nella Prouincia di S. Angelo,

Che contiene Conuenti num. 19. Religiosi Chierici Professi num. 365. e Conuersi nu. 40. sia designato per luogo di Nouitiato

Il Conuento di S. Francesco d'Isernia, capace di poter tenere Nouitij nu. 12. e Professi di famiglia num. 18.

E per luoghi de Professorij.

Il Conuento di S. Francesco di Troia, capace per poter tenere soggetti de Professorij num. 6.

Il Conuento di S. Francesco di Foggia, capace come sopra de Professi num. 6.

Et in fede habbiamo sottoscritto la presente di nostra propria mano, e sigillata co'l solito sigillo della nostra Religione in Roma.

Fr. Felice Gabrielli d'Ascoli Ministro Gener.

Fr. Ludouico da Varese Procurator Gener.

Fr. Giacomo Cassani da Strongolo Assistente Generale.

Fr. Bernardino Sacchi da Fabriano Segret. dell'Ordine, Assistente Generale, e Prouinciale di Dania &c.

Loco ✠ sigilli.

DECRETVM

Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium Sacrę Congregationis ſuper ſtatu Regularium,

Aſſignans, & nominans Conuentus pro Nouitiatibus, & Profeſſorijs in vnaquaque Prouincia Italica; atque præſcribens Prouincialibus modum examinandi acceptandos ad habitum, & Generali, ſeligendi meliores, inſpectis ſpiritu, ætate, natalibus, ingenio &c. cum præcepto vitę communis in profeſſione, & nihil recipiendi pręter victum, ac educatione habenda in Profeſſorijs, quorum Conuentui familiam Generalis aſſignet, ac de omnium præfatorum executione, certior reddatur eadem Sacra Congregatio ſub pœnis &c.



AD propagandam in Ordinę Fratrum Minorum Conuentualium S. Franciſci regularem obſeruantiam, quæ Nouitiorum inſtitutioni, & educationi præcipuè innititur Sacra Congregatio à Sanctiſſimo Dño Noſtro deputata ſuper ſtatu Regularium, de mandato Sanctitatis Suæ in

ſingulis Italiæ Prouincijs eiuſdem Ordinis præ-ſentis Decreti vigore deſignat, ac deputat in-fraſcriptos Conuentus pro Nouitiatibus,& Pro-feſſorijs, videlicet in Prouincia Romana pro Nouitiatu Conuentum S. Franciſci Viterbij, & pro Profeſſorijs Conuentus SS. Apoſtolorum Vrbis Romæ, S.Franciſci Ferentini, & S.Caroli Cauis. In Prouincia S. Franciſci pro Nouitiatu Sacrum Conuentum Aſſiſij, & pro Profeſſorijs Conuentus S.Franciſci Peruſię,S.Fortunati Tu-derti, & S.Franciſci Ameliæ. In Prouincia Bo-nonienſi pro Nouitiatu Conuentum S. Franci-ſci Bononiæ, & pro Profeſſorijs eumdem Con-uentum Sancti Franciſci, necnon Conuentus S.Franciſci Ferrariæ, & S. Franciſci Fauentiæ. In Prouincia Neapolitana pro Nouitiatu Con-uentum S.Laurentij Neapolis, & pro Profeſſo-rijs eumdem Conuentum S.Laurentij, necnon Conuentus S. Franciſci Auerſæ, & S. Franciſci Mirabellæ. In Prouincia Marchiæ pro Noui-tiatu Conuentum Sancti Franciſci Firmi,& pro Profeſſorijs Conuentus S. Franciſci Vrbini, & S. Franciſci Fani. In Prouincia S. Nicolai pro Nouitiatu Conuentum S.Franciſci Ciuitatis Li-cienſis, & pro Profeſſorijs Conuentus S.Franci-

sci Bituncti, & S. Francisci Andriæ. In Prouincia Mediolanensi pro Nouitiatu Conuentum Sancti Francisci Mediolani, & pro Professorijs eumdem Conuentum Sancti Francisci, necnon Conuentus S. Francisci Sarroni, & S. Francisci Gallerati. In Prouincia Hetruriæ pro Nouitiatu Conuentum S. Crucis Florentiæ, & pro Professorijs Conuentus S Francisci Pisarum, S. Francisci Senarum, & S. Francisci Pistorij. In Prouincia Genuensi pro Nouitiatu Conuentum S. Francisci Genuæ, & pro Professorijs Conuentus Sancti Francisci Taurini, S. Francisci Papię, & S. Francisci Castri-nuoui. In Prouincia S. Bernardini pro Nouitiatu Conuentum S. Francisci Terami, & pro Professorijs Conuentus Sancti Francisci Aquilę, & S. Francisci Sulmonæ. In Prouincia Calabriæ pro Nouitiatu Conuentum S. Francisci Arenæ, & pro Professorijs Conuentus Sancti Francisci Montis-leonis, & S. Francisci Ieratij. In Prouincia S. Angeli pro Nouitiatu Conuentum Sancti Francisci Iserniæ, & pro Professorijs Conuentus S. Francisci Troię, & S. Francisci Foggiæ. In quolibet autem ex prænominatis Conuentibus pro Nouitiatu, vt pręfertur designatis eadem Sacra Congregatio impertitur li-

centiam hac vice tantum recipiendi Nouitios intra numerum hìc præfixum, nempe in Prouincia Romana decem Clericos, seu Choristas, & duos Laicos, seu Conuersos. In Prouincia S. Francisci decem Clericos, & duos Laicos. In Prouincia Bononiensi decem Clericos, & duos Laicos. In Prouincia Neapolitana decem Clericos, & duos Laicos. In Prouincia Marchię decem Clericos, & duos Laicos. In Prouincia S. Nicolai decem Clericos, & duos Laicos. In Prouincia Mediolanensi decẽ Clericos, & duos Laicos. In Prouincia Hetrurię decem Clericos, & duos Laicos. In Prouincia Genuensi decem Clericos, & duos Laicos. In Prouincia Calabrię septem Clericos, & Laicum vnum. In Prouincia S. Bernardini quinque Clericos, & Laicum vnum. In Prouincia S. Angeli quinque Clericos, & Laicum vnum. Dùm tamen hęc, quę sequuntur, inuiolatè obseruentur. Primum indicatur, & in singulis dictarum Prouinciarum Conuentibus publicetur futurum examen, seu scrutinium eorum, qui ad habitum probationis recipi postulauerint, omnesq; à Prouinciali, & Diffinitoribus diligenter examinentur, & per vota secreta approbentur quotquot idonei reperti fue-

rint natalibus, ętate, vita, & moribus anteactis, litteratura respectu Clericorum, corporis habitudine, impulsu spiritus, alijsque requisitis ad pręscriptum Apostolicarum Constitutionum, ac Statutorum Ordinis. Non idonei verò reijciantur, nec aliquis approbetur pro Clerico, qui decimumquintũ, nec pro Laico, qui vigesimum ętatis suę annum non expleuerit. Tum deinde hoc examen, seu scrutinium scripto fideliter exaratum, & manu propria cuiusque Examinatoris subscriptum, ac iuramento firmatum, obsignatumque primo quoque tempore transmittatur ad Generalem, qui statim consultis, atque adhibitis Procuratore Generali, & Patribus grauioribus, qui ei assistunt, scrutinium sic receptum accuratè percurrat, & per singulas partes expendat, ac pręterea tàm per supradictos, quàm per litteras familiares, & secretas inquisitiones à Patribus Prouincię antiquioribus, ac zelum Dei habentibus assumendas sedulò inuestiget, num aduersus examinatos, & approbatos inueniatur aliqua exceptio, an vè ipsorum quispiam sit consanguineus, vel affinis, amicus, aut quoquomodo addictus alicui Examinatori, vel alteri ex Fratribus Ordinis, & an zelo perfe-

ctionis vitę,& Deo liberiùs in sancta Religione seruiendi, an potiùs leuitate, aut necessitate, vel alio fine inordinato ductus postulet admitti. Hisque peractis ex omnibus vt supra approbatis idem Generalis cum alijs supradictis intrà numerum Nouitiorum pro Clericis, & Laicis in illa Prouincia, vt supra concessum, pręligat meliores, habita pręsertim ratione indolis, morum, feruoris spiritus, acuminis ingenij,& conditionis natalium; moxque pręelectorum nomina mittat ad Prouincialem, qui tunc demùm, & non priùs eosdem pręelectos ad habitum probationis suscipiat, & anno elapso, si eos habiles inuenerit ad professionem admittat, sub exacta tamen vita communi ad pręscriptum regulę, non obstante quauis laxiori consuetudine, seu potiùs corruptela in contrarium introducta, seruataque forma Sacrorum Canonum, Concilij Tridentini,& Constitutionum Apostol. ac pręcipuè Decretorum f. m. Clementis VIII. necnon Statutorum prędicti Ordinis: Quod si aliquem ex dictis Nouitijs antè professionem à Religione discedere, aut expelli contigerit; alius in eius locum subrogari possit, dummodò tamen in omnibus seruetur forma superiùs

præſcripta, ſed & illud omninò cauendum erit ne à volentibus ingredi Religionem pro ipſo ingreſſu, nec poſt ſuſceptum habitum probationis pro admiſſione ad profeſſionem, vel alio quocumque prætextu, excepto victu, & veſtitu, Nouitius illius temporis, quo in probatione eſt, ab ipſo, vel eius parentibus, aut propinquis, vel curatoribus aliquid accipiatur ſub pœnis per Sacros Canones, & Tridentinum Concilium ſtatutis. Cęterum, vt prędicti Nouitij, poſtquam in profeſſorum numerum, vt prę fertur, recepti fuerint, meliùs in bono ſpiritu, regulariſque diſciplinæ obſeruantia ſtabiliantur, & confirmentur, ſtatim poſt profeſsionem emiſſam, ſi in Conuentu pro Nouitiatu, vt ſupra, aſſignato locus aderit, ſecundi Nouitiatus, ſeu Profeſſorij ab ea, quæ Nouitiorum eſt, atque antiquorum Profeſſorum habilitatione diſtinctus, & ſegregatus ibi collocentur, ſi Conuentus eos alere queat, ſin minùs transferantur in alium Conuentum ex deſignatis pro Profeſſorio, ſeu ſecundo Nouitiatu, vbi is locus cum requiſitis ad Nouitiatum ipſum prę ſcriptis reperiatur, vel accomodetur, aut de nouo conſtruatur, ita tamen, vt prædicta Religio ex ſuarum Conſtitutionum,

tionum, seu Institutionum vigore maioris temporis cursu nouos Professus intra Nouitiatum detinere consuescat, illis in hac parte minimè derogatum esse intelligatur. Et nihilominùs permittitur Superioribus, vt id ipsum facere possint si rationi, ac Religioni magis expedire iudicauerint. In quo quidem Professorio degant sub regulis, & modo viuendi adhùc strictiori, quam seruent antiquiores Professi, itaut nec in negotijs Conuentus se intromittere, nec communibus tractatibus interesse, neque alterius exterioris obedientię officium exercere debeāt; ibique permaneant quousque ad ætatem sacris Ordinibus suscipiendis sufficientem peruenerint, vel saltem per triennium post professionem, quo etiam tempore poterunt quinimmò, & debebunt litterarum studijs operam nauare sub directione, & regimine Superioris, qui eas qualitates habeat, quibus Nouitiorum Magistrum prçditum esse opportet, quemadmodum ipsius Clementis Decreto prouidè sancitum est. Porrò in Conuentibus tàm pro primo, quàm pro secundo Nouitiatu, vt præmittitur assignatis, nec Superior, nec Nouitiorum Magister, nec familia Religiosorum constituatur,

vel amoueatur, nisi ab ipsomet Generali, consultis Procuratore Generali, ac Patribus grauioribus ei assistentibus, necnon Prouincialibus, & Diffinitoribus, neq; in eis collocentur nisi Religiosi graues, deuoti, exemplares, & regularis obseruantiæ, ac puritatis regulæ studiosi, præcipuè verò caueatur ne ibi ponatur aliquis, qui non consentiat seruare vitam communem, quæ in prædictis Conuentibus ad regulæ præscriptum exactè obseruetur. Indeque amoueantur qui tam sanctæ ordinationi contradicere, aut quoquomodo se opponere ausi fuerint. Ad extremum postquam Nouitij in Professorum numerum vt supra exoptati fuerint, Superiores regulares, ad quos pertinet illicò S. Congr. edoceant supradicta omnia, & singula fuisse ad vnguem adimpleta, & exequtioni mandata, alioquin pœnas in memoratis Decretis Clem. VIII. fel. rec. statutas se subituros, ac nouas licentias recipiendi Nouitios nequaquã fore impetraturos certò sciant. Non obstantibus quoad pręmissa omnia, & singula Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis Statutis, consuetudinibus, & priuilegijs, cæterisq; contrarijs quibuscumque. Dat. Romæ die 5. Nou. 1654.

Loco ✠ sigilli.

DECRETVM

Sacræ Congregationis ſuper ſtatu Regularium

De Tertiarijs impuberibus eijciendis à Nouitiatibus, & Conuentibus, nec amplius admittendis infra vigeſimum ętatis annum.



Tſi Decretis Sacræ Congregationis ſuper ſtatu Regularium de mandato Summorum Pontificum Innocentij X. & Alex. VII. iàm pridẽ ęditis pro Nouitijs recipiendis, ſtatutum ſit, vt omnes, qui ad habitum probationis ſe recipi poſtulauerint, diligenter examinentur, ac per vota ſecreta approbentur, quotquot idonei reperti fuerint ętate, alijſque requiſitis ad præſcriptum Apoſtolicarum Conſtitutionum, ac Statutorum Ordinis, *nec quiſquam cenſeatur habilis ad huiuſmodi habitum ſuſcipiendum vt Clericus niſi annum ætatis ſuæ decimumquintum, neque vt Conuerſus, niſi annum vigeſimum expleuerit:* nihilominùs in pluribus Religionibus Italiæ, & Inſularum adiacentium aliquibus ab hinc annis introductum eſt, vt recipiantur ado-

lescentes Laici, non quidem pro Conuersis, vt annum probationis incipiant, & finito tempore Nouitiatus admittantur ad Professionem; sed pro Tertiarijs, vel Oblatis, seu Donatis, eisque tradatur habitus, vt vocant sine caputio, illis dari consueto, vt sic inseruiant alicui Religioso particulatim, aut pluribus, vel omnibus communiter, & multoties pueri, & adolescentuli recipiantur in Monasterijs non, vt Nouitij, sed vt hospites, seu postulantes se recipi pro Clericis ad habitum probationis, & parua veste induti plures menses, quinimmò & annos sic detineantur intra claustra, donec compleuerint annum ętatis decimumquintum Clericis vt supra præscriptum, ad annum Nouitiatus inchoandum, idque eo prætextu, vt interea fiat experimentum de ipsorum indole, & aptitudine ad Religionem, & aliquando etiam in eadem veste ijdem pueri, & adolescentuli admittantur in Nouitiatibus, & cum Nouitijs degant, ad hoc vt eorum voces pueriles in Choro cum vocibus Professorum misceantur, dùm diuina peragantur officia. Quoniam verò secundum canonicas sanctiones, & iuris regulas, cum quid vna via prohibetur alicui, ad id alia non debeat admitti,

& memorati abusus irrepserint in fraudem legis, & elusionem Decretorum vt supra editorum, in Religionum dispendium, ac non sine multorum admiratione, & scandalo; Idcircò eadem Sacra Congregatio, vt in dies crescat in Ecclesia Dei sacrarum Religionum splendor, & veneratio ex speciali mandato Sanctissimi Domini Nostri Domini Clementis Diuina Prouidentia Papæ X. hoc præsenti Decreto in virtute sanctæ obedientiæ *præcipit* omnibus, & singulis Superioribus Generalibus, Prouincialibus, & Localibus quocumque nomine, & titulo appellatis quorumcumque Ordinum, & Congregationum, tàm Mendicantium, quàm non Mendicantium, *vt de cætero neminem pro Tertiarijs, vel Oblatis, seu Donatis, aut Commissis, vel Seruientibus, nec pro hospitibus, seu postulantibus, vel Cantoribus, aut alio quocumque nomine nuncupatis, ac quouis habitu indutis, vel induendis sub quouis prętextu, vel causa, aut quæsito colore recipiant, seu admittant ad habitandum intra claustra, nisi vigesimum ętatis suæ annum expleuerit, omnesque sic receptos, seu admissos* (ijs tantùm exceptis, qui completa ętate annorum quindecim pro Clericis, seu Choristis in habitu Nouitiorum annum

probationis agunt) *à Monasterijs, seu Domibus Regularibus omninò amoueant, & eijciant infra terminum duorum mensium*, inchoandum à die intimationis præsentis Decreti faciendę Procuratoribus eorumdem Ordinum, & Congregationum in Romana Curia existentibus. *Quod si prædicti Superiores præsenti Decreto* per omnia non paruerint, aut in aliqua eius parte contrauenerint, *pœnam priuationis dignitatum, & officiorum, quæ tunc temporis obtinebunt, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, vel alia in posterum obtinenda, vocisque actiuæ, & passiuæ ipso facto, absque alia declaratione incurrant.* Non obstantibus quoad omnia suprascripta priuilegijs, indultis, & consuetudinibus, cæterisque contrarijs quibuscumque. Dat. Romæ die 16. Maij 1675.

V. CARD. CARPINEVS.

P. Fagnanus Secret.

DECLARATIONES

Sacræ Congregationis ſuper ſtatu Regularium

Circa iuriſdictionem Ordinarij in Grangijs Monaſteriorum, illarumque Eccleſijs, & publicis Oratorijs.



Oſita Conſtitutione fel.record.Innocentij X. quæ incipit *Inſtaurandæ*, necnon illius Decreto incipien. *Vt in paruis*, contingit dubitari de infraſcriptis:

Primò, An Grangiæ ex dicta Conſtitutione Innocentij ſuppreſſæ, & ad ſtatum ſecularem reductæ, illarumque Eccleſiæ, & publica Oratoria poſſint ab Ordinario viſitari.

II. Et quatenus poſſint, an hoc ius Ordinario competat priuatiuè quo ad Superiores Regulares, an verò cumulatiuè cum ipſis.

III. Et quid ſi prędictis Eccleſijs cura animarum incumbat.

IV. An Superiores Regulares poſſint in dictis Eccleſijs curam animarum habentibus nominare Vicarios ad curam animarum exercen-

dam, eosque ad nutum amouere?

V. An Grangię, seu membra alicuius Monasterij nunquam suppressa, in quibus non degunt saltem sex Religiosi, subsint Iurisdictioni, ac Visitationi Ordinarij loci priuatiuè, an cumulatiuè cum Superioribus Regularibus.

Die 11. Septembris 1670. Sacra Congregatio super statu Regularium, ad singula dubia superius proposita, in hunc modum respondit, videlicèt:

Ad primum, Grangias, vt præfertur, suppressas, & ad statum sęcularem reductas, illarumq; Ecclesias, & publica Oratoria posse ab Ordinario visitari, dummodò in ijs Grangijs, quarum proprietas fuit reseruata, vel restituta principalibus Monasterijs, idem Ordinarius nullo modo se ingerat in temporalibus.

Ad secundum, quo ad Ecclesias, & Oratoria publica ius visitandi competere Ordinario priuatiuè; quo ad Conuersos autem in eis degentes cumulatiuè, Ordinario scilicet iure delegato ad formam Sacri Concilij Tridentini, Regularibus verò iure Ordinario.

Ad tertium, itidem quo ad Ecclesias dictarum Grangiarum curam animarum habentes ius visi-

ius visitandi Ordinario competere priuatiuè, sed quoad Conuersos in eis degentes hoc ius competere cumulatiuè, nempe Ordinario tamquam Sedis Apostolicæ delegato, Regularibus verò auctoritate Ordinaria.

Ad quartum, Superiores Regulares posse huiusmodi Vicarios nominare, & illos ad nutum amouere, si Ordinarius loci ab initio illos deputauerit amouibiles.

Ad quintum, Grangias, seu Membra alicuius Monasterij numquam suppressa, in quibus non degunt saltem sex Religiosi, subesse iurisdictioni, ac Visitationi Ordinarij loci, ac Superiorum Regularium cumulatiuè, videlicet Ordinario tamquam Sedis Apostolicæ Delegato ex prædicto Decreto *Vt in paruis*, Regularibus autem iure Ordinario.

V. CARD. CARPINEVS.

P. Fagnanus Secret.

DECLARATIONES

Sacræ Congregationis ſuper ſtatu Regularium

Circa iuriſdictionem Epiſcopi in paruis Conuentibus.

EPiſcopus viſitauit Conuentum ſuæ iuriſdictioni ſubiectum in vim Decreti fel. record. Innocentij X. incipien. *Vt in paruis*, propterea quòd tunc temporis ibi non erant de familia, nec re ipſa alebantur ſex Religioſi. Sed poſt abſolutam viſitationem ſine vlla fraude à Superioribus Regularibus in eodem Conuentu adaucta eſt familia, & impletus numerus ſex Religioſorum, ſicque Conuentus exemptionem recuperauit iuxta declarationes S. Congregationis ſuper ſtatu Regularium, nempe decimamſextam, & decimamſeptimam inter impreſſas.

Hoc poſito, conſulitur S. Congregatio de infraſcriptis.

Primò, An poſt exemptionem, vt præfertur, recuperatam Epiſcopus poſſit huiuſmodi Con-

uentum visitare ad effectum, vt videat, an Ordinationes, & Decreta ab ipso edita in visitatione præcedenti fuerint adimpleta, nec ne.

II. Anve possit Decreta non adimpleta exequi, & pro illorum executione pœnas adijcere, & aggrauare.

III. Et quatenus possit, an hæc facultas, quæ ex dicto Decreto, *Vt in paruis*, competit Episcopo tanquam Sedis Apostolicæ delegato, expiret lapso integro anno à die publicationis Decretorum.

IV. An Episcopus post exemptionem à Conuentu recuperatam possit condemnare, & punire etiam pęna corporis afflictiua Religiosum, qui pro delicto in Curia Episcopali fuerat inquisitus, & carceri mancipatus eo tempore, quo Conuẽtus erat iurisdictioni Episcopi subiectus.

Die 19. Nouembris 1671. Sac. Congregatio super statu Regularium ad singula dubia superius proposita respondit vt sequitur, videlicèt:

Ad primum, postea quam Conuentus exemptionem recuperauit, Episcopum nequaquam posse illum visitare etiam ad effectum, vt videat, an Decreta edita in præcedenti visitatione fuerint executioni mandata.

Ad ſecundum, itidem non poſſe poſt huiuſmodi exemptionem Decreta non adimpleta exequi, minuſque pœnas adijcere, & aggrauare pro illorum executione.

Ad tertium, iuriſdictionem ex dicto Decreto, *Vt in paruis*, Epiſcopo attributam in Conuentu non habente Religioſorum numerum ibi præſcriptum expirare eo ipſo, quòd Conuentus ob familiam ſine fraude adauctam, & impletum numerum Religioſorum præfixum exemptionem recuperauit.


Ad quartum, cum contra dictum Religioſum non ſolum cauſa, ſed etiam perſona ſit præuenta eo tempore, quo Conuentus erat ſubiectus iuriſdictioni Epiſcopi, & exemptio ſuperueniens non inuenerit eum liberum, vtique Epiſcopum tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatum poſſe huiuſmodi cauſam tempore habili inchoatam proſequi etiam poſt exemptionem, & eumdem Religioſum condemnare, & punire etiam pœna corporis afflictiua.

V. CARD. CARPINEVS.

P. Fagnanus Secret.

PRAXI EDOCTVS, ALIQVORVM recursus ob nullam sequentium notitiam, ijs indigere, apposui, ne frustra epistolis, causisve Romam pulsent, qui inde habeant minori molle libri oracula quæ consulant.

Sequuntur Dubia, ac Declarationes aliquot Sacræ Congregationis Concilij S. D. N. Vrbani Papæ VIII. auctoritatæ editæ super Decretis eiusdem Congregationis de celebratione Missarum.



SVper primò Sacræ Congregationis Decreto, de celebratione Missarum, quo prohibetur, ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel alias quoquomodo, reducant onera vlla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis.

Quæritur, quid si legatum sit ita, tenue, vt non sit, qui velit onus illi iniunctum subire, & si recurrendum sit ad Sedem Apostolicam pro

moderatione oneris totum, aut ferè totum insumendum sit pro expensis ad id necessarijs?

Et quid, si permittatur Episcopo in fundatione, vt possit huiusmodi onera moderari?

Secundò, super secundò eiusdem Congregationis Decreto, quo cauetur, vt celebrentur tot Missæ, quot ad rationem tributæ eleęmosynę præscriptæ fuerint.

Quæritur, an verba illa, *præscriptæ fuerint*, intelligenda sint de præscriptione facta ab offerente, vel ab Ordinario?

Tertiò, an cum Ordinarius præscripserit eleęmosynam congruam, iuxta qualitatem loci, personarum, ac temporum, Sacerdotes accipiẽtes stipendium minus congruo, teneãtur Missas illis ab offerente præscriptas celebrare?

Quartò, an Sacerdotes, qui tenentur Missas celebrare ratione Beneficij, seu Capellæ, legati, aut salarij, possint etiam manualem eleęmosynam, pro Missis votiuis, aut Defunctorum, recipere, & vnico Missę Sacrificio vtrique oneri satisfacere?

Quintò, posito, quòd Testator relinquat, vt celebrentur pro eius anima centum Missæ, absque vlla præscriptione eleęmosynæ. Quæritur

an liberum ſit hęredibus, eleęmoſynā ſibi bene viſam præſcribere, an verò eadem eleęmoſyna præſcribenda ſit ab Ordinario.

Sextò, ſuper tertio Congregationis Decreto, in quo eadem Congregatio reuocat priuilegia, quibus indulgetur, vt certarum Miſſarum, anniuerſariorū celebratione, aut aliquibus collectis, ſeu orationibus, plurimum, Miſſarum oneribus in futurum ſuſcipiendis ſatisfiat.

Quæritur, an verba, *in futurum ſuſcipiendis*, intelligenda ſint dè oneribus ſuſcipiendis poſt priuilegium?

Septimò, ſuper quarto eiuſdem Congregationis Decreto, quod prohibetur Sacerdoti qui ſuſcepit Miſſam celebrandam cum certa eleęmoſyna, ne eandem Miſſam alteri, parte eiuſdem eleęmoſinæ ſibi retenta, celebrandam committat.

Quæritur, an permittendum ſit adminiſtratoribus Eccleſiarum, vt retineant aliquam eleęmoſinarum portionem pro expenſis manutentionis Eccleſiæ, Altarium inſeruientium, paramentorum, luminnm, vini, hoſtiæ, & ſimilium?

Octauò, an hoc Decretum habeat locum in Beneficijs, quæ conferuntur in titulum, ideſt,

an Rector Beneficij, qui per alium celebrare facit, teneatur Sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem reddituum Beneficij?

Decimò, an Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleęmosyna maior solita pro celebratione Missæ, debeant dare eandem integram eleęmosynam ijs, quibus Missas celebrandas committunt. An verò satis sit, vt dent celebrantibus eleęmosynam consuetam?

Vndecimò, super quinto eiusdem Congregationis Decreto, quo inter cætera statuitur in hæc verba: *eleęmosynas verò manuales, & quotidianas pro Missis celebrandis;* ita demum ijdem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, vt noua quoque onera obire valeant; Alioquin omnino abstineant ab huiusmodi eleęmosynis, etiam spontè oblatis, in futurum recipiendis, & capsulas auferant, &c.

Quæritur, an hoc Decretum prohibeat absolute, quo minus accipiant nouas eleęmosynas ij, qui acceptis non satisfecerunt: & quid si congruo tempore possint omnibus satisfacere?

Duodecimò, quid si offerens eleęmosynas, audito impedimento consentiat, vt Sacerdos

Missam

Missam celebret cum primum poterit?

Decimotertiò, an pœna interdicti, & aliæ appositæ in eodem Decreto afficiant tàm eos, qui accipiunt eleęmosynas contra formam ibi præscriptam, quàm eos, qui non auferunt capsulas ab Ecclesijs, vt ibidem præcipitur.

Decimoquartò, an in hoc Decreto comprehendantur illæ capsulæ, quæ apponi solent in Ecclesijs in die Commemorationis omnium Sanctorum, & vulgò di cuntur, *Casse de Morti*?

Decimoquintò, an administratores Ecclesiæ magnæ deuotionis, & concursus possint eleęmosynas pro Missis celebrandis accipere, si ijsdem Missis nonnisi post longum tempus satisfacere valeant, ne aliàs cultus Ecclesiæ, & deuotio, ac concursus Fidelium, vt aiunt, minuantur?

Decimosextò, quia prohibitio dicti Decreti videtur aliquibus directa solis Capitulis, Collegijs, Societatibus, Congregationibus, necnon omnibus, & singulis Ecclesiarum, & piorum locorum, tàm sęcularium, quàm Regularium, Superioribus, de quibus sit expressa mentio, non autem priuatis Sacerdotibus, qui tamen comprehendi videntur sub clausula generali (&

alijs, ad quos pertinet) ſupplicatur pro opportuna declaratione?

Decimoſeptimò, ſuper ſeptimo eiuſdem Sacræ Congregationis Decreto, quo cauetur, vt in ſingulis Monaſterijs Religioſorum pręfigatur numerus, qui ex conſuetis redditibus, aut eleęmoſynis commodè poſſit ſuſtentari.

Quæritur, an vbi hæc pręfixio facta iam fuit in vim ſimilis Decreti ſ. mem. Pauli V. abſque tamen computatione redditųum cuiuſque Religioſi ſit denuo facienda, necne?

Decimooctauò, an Nouitij ad habitum regularem admiſſi, poſsint admitti ad profeſſionem in Monaſterijs, in quibus, habita, vt ſupra, pręfixione numeri, commodè ali non poſſunt?

Decimonono, ſuper vltimo, quo cauetur, vt nullibi recipiantur Conuentus regularium, niſi pręter alia ad id requiſita, duodecim ſaltem Fratres in eis degere, & competenter ſuſtentari valeant, ita, vt alioquin ſubſint iuriſdictioni Ordinarię?

Quęritur, an hoc Decretum, quod videtur editum in ordine ad celebrationem Miſſarum, comprehendat eas Religiones, quę non conſueuerunt onera Miſſarum recipere, vt ſunt Reli-

giones Capuccinorum, ac Societatis Iesu?

Vltimò, an idem Decretum, vbi disponit, vt nullibi recipiantur Monasteria, nisi &c. habeat locum in Italia dumtaxat, ad quam est restrictum Decretum proximè antecedens, an vero etiam extra Italiam?

Subsequuntur Declarationes, seu Responsiones ad supradicta Dubia.

SAcra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, auctoritate sibi à Sanctissimo Domino Nostro attributa, ad singula dubia superius proposita, ad hunc modum respondit, videlicèt:

Ad primum, etsi legatum sit adeo tenue, nihilominus pro reductione oneris, vt supra impositi ab ijs, ad quos pertinet, Sedem Apostolicam esse adeundam, quæ absque vlla impensa id statuet, quod magis in Domino bene esse iudicauerit; Verumtamen si in ipsa Beneficij erectione expresse cautum fuerit, vt liceat Episcopo iniunctum onus reducere, ac moderari; legem hanc fundationis, quam Decreta hac de re edita non sustulerunt, esse validam, & obseruandam.

Ad secundum, esse intelligenda de præscriptione facta ab eo, qui eleęmosynam tribuit, non autem ab Ordinario. Quod si tribuens eleęmosynam numerum Missarum celebrandarum non præscripserit, tunc tot Missas celebrari debere, quot præscripserit Ordinarius, secundum morem Ciuitatis, vel Prouinciæ.

Ad tertium, teneri.

Ad quartum, Sacerdotes, qui tenentur Missas celebrare ratione Beneficij, seu Capellę, legati, aut salarij, si eleęmosynas pro alijs etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa vtrique obligationi satisfacere?

Ad quintum, censuit, vbi nullam certam eleęmosynam Testator reliquit, esse ab Episcopo præscribendam eleęmosynam congruam, quæ respondeat oneribus Missarum celebrandarum, secundum morem Ciuitatis, vel Prouinciæ.

Ad sextum, ita esse intelligenda.

Ad septimum, respondit, permittendum non esse, vt Ecclesiæ, ac loca pia, seu illorum administratores, ex eleęmosynis Missarum celebrandarum vllam, vtcumque minimam portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in

Miſſarum celebratione, niſi cum Eccleſiæ, & loca ipſa alios non habent redditus, quos in vſum earundem expenſarum erogare licitè poſſint, & tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expenſarum, quæ pro ipſomet tantum Miſſæ Sacrificio neceſſario ſunt ſubeundæ, & nihilominus eo etiam caſu curandum eſſe, vt ex pecunijs, quæ ſuperſunt, expenſis, vt ſupra, deductis, abſolutè tot Miſſæ celebrentur, quot præſcriptæ fuerint ab offerentibus eleęmoſynas.

Ad octauum, non habere locum, ſed ſatis eſſe, vt Rector Beneficij, qui poteſt Miſſam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleęmoſynam congruam ſecundum morem Ciuitatis, vel Prouincię, niſi in fundatione ipſius Beneficij illud cautum fuerit.

Ad decimum, debere abſolutè integram eleæmoſynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec vllam illius partem ſibi retinere poſſe.

Ad vndecimum, reſpondit, non prohibere abſolutè; Ac propterea, etſi oneribus iam ſuſceptis non ſatisfecerunt, poſſe tamen noua etiam onera ſuſcipere Miſſarum celebrandarum,

dummodo infra modicum tempus possint omnibus satisfacere.

Ad duodecimum, quamuis onera suscepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, si tamen tribuens eleęmosynam pro aliarum Missarum celebratione, sciat, & consentiat, vt illæ tunc demum celebrentur, cum susceptis oneribus satisfactum fuerit, Decretum non prohibere, quo minus eo casu eleęmosyna accipiatur pro ijsdem Missis, iuxta Benefactoris consensum celebrandis.

Ad decimumtertium, has pœnas non habere locum, nisi in suscepturis onera perpetua Missarum celebrandarum sine licentia Episcopi, vel eius Generalis Vicarij, aut Generalis, vel Prouincialis.

Ad decimumquartum, comprehendi.

Ad decimumquintum, non posse, nisi de consensu eorum, qui eleęmosynas tribuunt, vt supra in responsione ad duodecimum.

Ad decimumsextum, comprehendi etiam priuatos Sacerdotes.

Ad decimumseptimum, numeri præfixionem esse iterum faciendam, seruata forma vltimi Decreti hac de re editi.

Ad decimumoctauum, esse admittendos ad professionem, si alias habiles existant, ac deinde in aliquo alio Monasterio eiusdem Religionis esse edocandos, vbi commodè alì possint.

Ad decimumnonum, censuit comprehendere.

Ad vltmum habere locum extra Italiam.

C. CARD. DE TORRES.

P. Fagnanus S. Congr. Secret.





RONCILIONE;
TYPIS IACOBI MENICHELLI.
Superiorum permissu.

